# CONTRA HISTORIAM
# ARISTEÆ
## DE
# *LXX INTERPRETIBUS*
## DISSERTATIO.

In quâ probatur illam à *JUDÆO* aliquo confictam fuisse ad conciliandam authoritatem *Versioni Græcæ.*

ET

Quorundam doctorum Virorum Defensiones ejusdem, examini subjiciuntur.

Per *HUMFREDUM HODY*, A. M. *Coll. Wadhami OXON.* Soc. Probat.

*Quorum prima ætas propter humilitatem, & obscuritatem, in hominum ignoratione versetur, hi simul ac juvenes esse cœperunt, magna spectare, & ad ea rectis studiis debent contendere: quod eò firmiore animo facient, quia non modò non invidetur illi ætati, verùm etiam favetur.* Cic. de Offic. l. 2. c. 13.

*OXONII,*
Typis *Leon. Lichfield*, Impensis *Ant. Stephens* Bibliopolæ *Oxon.* 1684.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Reverendo admodum in Christo Patri

# PETRO

Divinâ permissione Episcopo

# *WINTONIENSI*;

*Anglicanæ* Ecclesiæ *Militantis* olim fortissimo
Defensori,
*Triumphantis* jam eximio Ornamento,
Monarchiæ fidelissimo Vindici;
Utrâque militiâ, *Carolinâ & Christianâ*,
perillustri Præsuli;
Regiæ Majestatis in Exilio Comiti,
Utriusque Fortunæ cum illo participi,
Utrâque majori;
Primitias hasce Juventutis meæ qualescunq;
In specimen observantiæ debitæ, gratique
animi pro acceptis Favoribus,
Quo par est obsequio,
Dico, voveo, & consecro,
Tantarum Virtutum Cultor humillimus.

# LECTORI.

*Quoniam Aristeæ Liber in manibus valdè quàm paucorũ habeatur, ignotus Tyronibus plerisq; omnibus, è re illorum me facturum duxi, si præmitterem Aristeæ Historiam redactam breviter in compendium. Sciendum itaque, quòd in Aristeâ scriptum legitur, Demetrium Phalereum à Bibliothecâ fuisse Ptolemæo, qui in Ægypto regnabat alter post Alexandriam conditam, cognomine Philadelpho, & ei authorem fuisse, ut Hierosolymam mitteret, qui ab Eleazaro, tum Pontifice Maximo, Judæorum Legis libros impetrarent, & poscerent in Ægyptum mitti LXXII. Viros eruditos, sex de singulis Tribubus, qui Legem in Græcum sermonem converterent. Ptolemæus Rex, de libris Judæorum Legis certior factus, sine morâ con-*

*constitutum habuit Hierosolymam Legatos mittere, &, quò commodiùs obtineret illos & Interpretes, supra centum millia Judæorum Captivorum, quos plurimos in Ægyptum deportaverat Pater ipsius, sui juris fecit, redemptionis pretio pro Capitibus singulis ex Fiscis Regiis numerato. Captivis ad pileum vocatis, Epistolam Eleazaro Pontifici scripsit, & Legatos Hierosolymam misit Andræam, & Aristeam, Authorem narrationis hujus, cum donis magnificentissimis, vasisque pretiosissimis in Templo Hierosolymitano dedicandis Deo, quæ graphicè describit Aristeas. Narratis hisce, occasionem sumit Aristeas differendi de Judæâ, Hierosolymis, Templo, Judæorum ritibus atque moribus; & literis mandat sermones quosdam, quos dicit Pontificem summũ de aliquibus rebus in Lege Mosaicâ, contuliße secum. Post breve spatium Legatos remisit Pontifex cũ Viris LXXII. totius Judææ sapientissimis pariter ac doctissimis, Hebraicæ linguæ, Græcæq; peritissimis, selectis*

*selectis ex Tribubus singulis; qui cùm Alexandriam devenissent, asportantes secum Volumen Legis, humanissimè excepti sunt à Rege, & per dies septem splendidis honorati convivijs. In quibus inter discumbendum, Quæstionem quandam Moralem, sive Politicam, Rex eorum singulis proposuit, & ab eis illi extemporali sagacitate satisfactum fuit, adeo ut eorum sapientiam admiratione omnes prosecuti fuerint. In quibus Responsis & Quæstionibus enarrandis Aristeas multus est. Interjectis diebus exinde tribus, Translationem aggressuri, deducti sunt à Demetrio, quietis & tranquillitatis gratiâ, in Pharum Insulam, sitam quâ parte Ægyptus in meridiem exit, ab oppido Alexandriæ septem stadijs, & quod excurrit, dissitam. Quo in loco incubuerunt in Versionem per singulos dies, in urbem reversi vespertinis temporibus, & illam absolverunt diebus totidem, quot fuerunt Interpretes,* viz. *LXXII. tot enim numerantur Interpretes, quamvis rotun-*

tundi numeri causâ, LXX titulo insigniti fuerint. Confecta Interpretatio à Demetrio perlecta fuit coram Judæorum multitudine, & eorum omnium approbatione decorata, tanquam omnibus suis perfecta numeris, execrationibus diris in illos solenniter congestis, qui ausint in ea quicquam violare, & prophanas inferre manus. Atque hiscè peractis omnibus, Demetrio Rex in mandatis dedit, ut Lex sacrosancta Græcâ linguâ donata, in Bibliothecâ Alexandrinâ religiosè conservaretur, & Interpretes dimisit in patriam præclaris maneribus cohonestatos.

Quum in maturiore Tyrocinio ad studia sacriora me accinxerim, & initium ab ipsis Sanctis scripturis ducturus essem, quo firmius mihi stabiliusque fundamentum præstruerem: arbitratus sum in re meâ non parum fore, si in controversiâ de Hebræi Textûs, & antiquarum Translationum authoritate, studij aliquid collocarem. Et quia compertum habui, Versionis Græcæ authoritatem ferè totam in libro

*bro hoc Aristeæ niti, operæpretium videbatur de illius libri dignitate disquisitionem instituere, & exquirere utrùm nihil in eo deprehendi posset, unde liceat conficere illum esse fictitium. Nam si Græca Versio, quæ multis in locis, illisque non levis momenti, ab Hebræo recedit, ornata fuerit (ut in illo libro memoriæ proditur) ab Interpretibus* LXX. *ad id negotij missis in Ægyptum ab ipso Pontifice maximo; non potest abesse quin inde consequatur permagni ducendam esse authoritatem ejus. Quamvis enim doctissimis Viris in proclivi sit in errores quandoq; labi, nequit tamen dubitari, quin Translatio facilè perfectissima confecta fuisset ab hominibus tot & tantis, ab ipso Pontifice Maximo ad munus illud delegatis. Neque rationis fuerit arbitrari Exemplaria illa, quibus usi sunt Interpretes* LXX, *quæ videntur non rarò discrepâsse à nostris Hebræis Codicibus, maculata fuisse & depravata: quandoquidem dubitationi nullus locus esse possit, quin Exemplaria, ab ip-*

so Pontifice ad Regem Ægypti missi, correctissima fuissent atque purissima.

In Aristeæ Historiâ ad Lydium Criticismi lapidem revocandâ, eâ methodo processum est, quâ solâ Criticorum Filiis uti datur in discriminando verorum & genuinorum Librorum auro à viliori spuriorum metallo. Argumenta mea duxi ab Antichronismis, & erroribus in Historiâ, ab Ineptijs, Stylo, aliisque rebus quæ Scriptorem, non Ethnicum, qualem profitetur se fuisse, sed Judæum sapiunt. Quæ illi vitio & errori verti, eorum multa reperiuntur non solùm in Codicibus hodiernis editis, verùm etiam in fragmentis illis, quæ ex Aristeâ in Operibus suis ad posteros transmisêre Josephus & Eusebius. Alia verò sunt, quæ in Codicibus nostris leguntur solis, nam Josephus & Eusebius Aristeæ compendium tantùm, sive excerpta quædam, inter sua retulerunt monumenta: quapropter, quia Codices illos, qui hodie feruntur sub Aristeæ nomine, Scriptores aliqui vocârunt in dubium

bium, tanquam diversos ab illis, quibus usi sunt Josephus & Eusebius, consultum duxi prælibare quædam de hodierni Exemplaris fide, & in Capite primo rationes eorum diluere, qui contendunt illud esse aliud ab antiquis Codicibus, ne videar quædam contra Historiam Aristeæ ex malo Codice desumpsisse.

Qualicumsuccessu contra Aristeam descenderim in arenam, aliorum debet esse judicium. Quamvis enim illum impostorem fuisse, mihipsi persuasissimum habeam, nolim tamen tam vanum me haberi, ut pollicear alios in sententiam meâ propter eadem argumenta concessuros, cùm tantâ judiciorum discordiâ dissentiri soleat, ut quod huic in lotum demonstrationis cedat, ab alio habeatur pro nihilo. Hoc solum mihi sumpsi, ut opinionem meam proferam, & ostendam quibus rationibus ad illam amplectendam adductus fuerim. Quibus quidem si calculum Tu adjeceris, de illâ re gratulabor mihi: si tibi placuerit in opinione diversum à me abire,

*ea res me anxium non habebit, & satis mihi erit ad ultionem, quòd ego vicissim à te recesserim. Quod ad Viros illos dignissimos & cum primis colendos spectat, quibus contraitum est in hoc libro, spero mihi crimini non imputatum iri, si ut illi ab alijs in multis, ita Ego ab illis hac in re dissenserim. Id quidem in curis præcipuè fuit, ut eâ me observantiâ gererem, quâ* Juvenem *erga venerandos Viros decet, quâ* Tyronem *erga Viros multò doctissimos. Si quid uspiam ab obsequio debito deflexisse videar, obnixè omnes oratos vellem, ut tantum illud ab animo intentioneque meâ abfuisse credant, quantum abest à bonis moribus. Nihil enim optatius habeo, neq; ad honorem ullum aspirat sublimiorem ambitio mea, quàm ut inter Cultores observantissimos accenserer, cùm cæterorum illorum venerabilium Virorum, tum clarissimi D. Doctoris* Vossii, *qui, ut de omnibus bonis literis, ita de Græcâ S. Scripturarum Versione quàm præclarè meretur, adjecturus olim (ut speramus) ad merita sua pristinam ei puritatem restitu-*

*restituendi atque redintegrandi gloriam. Quam quidem licèt eo non habeam loco, quo à maximo illo Viro numeratur, quoque mereretur reponi, si ab Aristeanis elaborata fuisset LXX Viris; illâ tamẽ fateor atque etiam profiteor inæstimabilem esse thesaurũ, & Auro contrà non carum.*

*Reliquum est quod paucis te voluerim monitum, Lectorem subinde in hoc Libello ad alios de Versione Græcâ Libros amandatum esse, & sæpiusculè ad* Syntagma *quoddam, quod inscripsi* Historico-Chronologicum de Ptolemæis Ægypti Regibus. *Quocirca necesse habeo (abest enim omnis ostentationis species) certiorem te facere,* quatuor libros *me habere de Græcâ Versione compositos. Quorum in* primo *(quem nunc tibi damus) convulso pro virili receptæ opinionis fundamento; in* secundo *totus sum in astruendo, quod de Translatione, Interpretibus ipsis, interpretandi modo & tempore, eorumque dignitate & authoritate, videtur mihi munitum majore probabilitatis specie.* Tertius *liber est* Historia Scholastica

He-

Hebræi Textûs & Versionis Græcæ, *in quâ ostendi qualis fuerit illarum authoritas per omnia retro secula. Quid de illis Ecclesiæ primitivæ decreverint, quid Sti. Patres & Scriptores Ecclesiastici, quantâ maximâ potui diligentiâ & fide, exploravi, elicuique: Et conatus sum demonstrare, Hebraica Biblia maximo in pretio semper habita fuisse, & Versionem Græcam illi posthabitam, ab antiquis Ecclesiis & bene multis Patribus, contrà quam à Patronis Versionis Græcæ asseverationе tantâ statuitur, & ab alijs ferè plerisque creditur.* Quartum *librum observationibus quibusdam aliis, ad Versionem Græcam pertinentibus, dedi. Et quantum attinet ad* Syntagma de Ptolemæis, *cujus mentionem feci; in intimas Antiquitatum Ptolemæorum tenebras me immisi; & operam dedi, ut illi Historiæ & Chronologiæ parti, quæ in difficillimis habetur ab omnibus, afferrem lucem: & Historicorum atque Chronologorum, cum veterum, tum recentiorum, permultos errores videor mihi castigâsse; res denique*

*nique non paucas in eo præstruxi, quas scire quamplurimùm eorum refert, quibus in votis est de controversiâ hac de Aristeâ & LXX. instruere se majore peritiâ.*

*Hisce autem libris cùm supremam essem impositurus manum, & eos exaraturus, ut Amicis in manus traderem, in proposito habens illos simul omnes publici juris facere, visum tandem est, glischentibus negotiis, & expectantibus me aliis studiis, avulsum cæteris hunc Librum, prævium foras dare. Secuturi sunt (favente Deo) reliqui, quàm citò licebit per otium, si æqui hunc bonique feceris, benigneq; exceperis.* Vale.

Wad. Coll.
Oxon. Julii
22. 1684.

E R.

# ERRATA.

DEle Commata p. 2, l. 28. p. 7, l. 20. p. 49, l. 1. post, *autor*. p. 59, l. ult. post, *Anagraphes*; P. 9, l. 17. scribe *Apollonio*. p. 145 l. 13. pro *infarsum* l. *insertum*. l. 14. pro *vero*, l. *vetere*. p. 26, l. 25. l. *praestantissimi*. p. 28, l. 23. pro *illum* l. *hunc*. p. 29, l. 1. l. *Jos*. l. 19 pro *Petrus*, pone *simplicem P*. p. 52, l. 19. pro *in* l. *de*. p. 62, l. 18. l. *ἰουσ*. p. 70, l. 7. *usitatam* l. 13. pro *à*, l. *è*. p. 71, l. 21. l. *fuisse*. p. 76, l. 1. pro *M* l. *m*. p. 89, l. 27. l. *ab*. p. 92, l. 1. *Penstriuxerit*. l. 27. l. *multò*. p. 101, l. 29. pro *ejus* l. *sui* p. 106, l. 16. l. *ascribit*. p. 123, l. 28. pro *Philadelphi* l. *Josephi*. p. 127, l. 15. l. *Virorum*. p. 143, l. 26. post *Demetrio*, adde *Phalereo*. p. 150, l. 10. post *sese*, adde *potius*. p. 152, l. 14. l. *admodum*, p. 179, l. 11. l. *oblitus*. p. 184, l. 11. pro *nuncupâsse*, l. *scripsisse*. p. 197, l. 1. l. *nullum*. l. 17 dele *&*. l. 21. l. *Nicandri*. p. 201, l. 6. l. *cursui*. p. 210. l. 7. l. *Nicanorem*. p. 220, l. 12. l. *Sanutus*. p. 276, l. 29. l. *feruntur*. p. 291. l. 13. l. *constructum*. Literarum, Punctorum, & Accentuum vitia quædam, & si quid sit erratum gravius, candori tuo relinquo, Humanitatis erit tuæ, quæ legis candidè interpretari.

CON-

# CONTRA HISTORIAM ARISTEÆ DE LXX. INTERPRETIBUS.

## CAP. I.

*Discutitur Quæsitum illud*, An vulgati Aristeæ codices sint spurii, &, ad elevandam fidem miraculi LXX. Cellularum, confícti? *Negatur contra* Leonem Castrium, Alphonsum Salmeronem, & Joh. Gregorium, Anglum. Aristeas *dicitur* Philadelphi *Regis* ὑπηρεσιστὴς, *dubitatur an rectè*. §. 1. *Scripsit* Judaicam Historiam. *Scriptores alii* Aristeæ *nomine insigniti*. §. 2. Aristeæ *Historia* LXX. Interpretum, *à quibus Authoribus laudata*. 3. *Recepta est sententia codices nostros*

*esse genuinos.* 4. Αριστέας, Αρισταῖος, Αρισταίας, Αριστεὺς, *vocabula veteribus confusè usurpata.* 6. Heptastadium Phari *à* Cleopatrâ *non condebatur.* 8 & 9. Aristeæ *vulgata exemplaria nihil habent dè* LXX. Cellulis, *neque vetustiora illa quibus usi sunt antiqui* Patres. 10. *Non potuerunt ad extenuandam* LXX. versionis *authoritatem corrumpi.* 11 & 12. Gerardus Vossius Jos. Scaligeri *sententiam de libello* Aristeæ, *cum* Castrii Salmeronisq; *perperam confundit.* 14. *Diversa* Aristeæ *exemplaria.* 16. Epiphanius *ab aliis diversissimum habuit, sed minùs verum.* 17, 18, 19. *Vulgati codices vera sunt, (etsi non immaculata)* Aristeanæ Historiæ *exemplaria; sed* Aristeana Historia *fictitia est & supposititia.*

ARISTEAS (si fides adest assertis) unus fuit ex Purpuratis Ptolemæi Philadelphi Ægypti Regis, &, juxta (a) D. Hieronymum, ὑπερασπιστὴς, id est, *corporis custos*; non enim necesse est, ut vocem illam restringamus ad satellitem, illum cujus erat in præliis (b) *clypeum ante Regem gestare.* Sanctus enim

(a) *Præfat. in Pentateuchum.*

(b) *Quale officium apud Alexandrum M. obtinuisse meminit* Arrianus *Hist. l. 6. p. 394*

enim Hieronymus, quo munere functus Aristeas fuerit, videtur edoctus à Josepho, qui, latiori sensu, illum *custodiam corporis* sibi creditam habuisse testimonium perhibet (c). Quem quidem in ordinem ingessit illum, quoniam apud Aristeam legerat, Andream, illius in obeundâ legatione socium, custodiendi regii corporis honore impertitum esse. Aristeam tamen ipsum Regi à corpore non fuisse, in proclivi sit (ni fallor) hinc colligere, quòd Rex, in Epistolâ ad Pontificem, Andreæ soli dignitatem illam tribuerit: *Ablegavimus ad te Andream præcipuum corporis custodem, & Aristeam, viros apud nos magno in honore constitutos.* Cæterùm non tanti est, ut controversiam de illo struere cum quoquam velimus.

(c) *L. 2. contra Apionem. p. 1064.*

2. Historiam de LXX. Interpretibus, Philocrati, fratri suo, sub Epistolæ formâ nuncupavit; cujus etiam nomine præmunitum alium antea *de Judæis* librum in vulgus dederat. In quo quæ prodiderit, à Judaicis se Sacerdotibus in Ægypto consecutum (d) dicit. Atque hunc conceperim unum & eundem fuisse atque illum *Aristæa librum de Judæis*, quem Alexander Polyhistor laudat apud (e) Eusebium. Neque est, cur

(d) *In Hist. hæc LXX Int. statim ab initio.*

(e) *Præparat. Evangel. l. 9. c. 25.*

cur id alicui moveret dubium, quòd, penultimâ ſyllabâ diverſimodè ſcriptâ, poſterior hic dicatur *Ariſtæus*: his enim literis inſtructum legitur nomen ipſius Concinnatoris Hiſtoriæ LXX. Interpretum. (f) Conradus Geſnerus Ariſtæum Græcum quendam celebrat, qui librum *Mirabilium Orbis* compoſuerit, item *Fabularum* librum, & ſub Ptolemæo Philadelpho ipſius geſta in literas retulerit. Non alium hunc fuiſſe, quàm Ariſteam noſtrum, (g) Jacobus Pamelius arbitratur; quâ ſententiâ noſcitur etiam Angelus (h) Rocha, niſi quòd de *Hiſtoriâ Philadelphi* nihil meminerit. Atverò mirari ſubit quibus è tenebris de Ariſteo, iſtiuſmodi rerum ſcriptore, ſcientiam illi ſuam deprompſerint; de quo, dum Authores veteres conſuluerim, nihil unquam fando audivi. Nihil de *Philadelphi geſtorum* Hiſtoriâ, nihil de *Mirabilium*, nihil de *Fabularum* libri Scriptore Ariſteo, (ſi diſceſſeris ab Ariſteo (i) Phliaſio, Dramatum ſeu Fabularum ſcriptore) ne veſtigium quidem ullum (quod ſciam) eſt reliquum nobis. Et Gerardus Voſſius, Hiſtoricorum Græcorum (ut & aliorum) inveſtigator diligentiſſimus, nullus facit de authore tali, ſive

(f) *In Bibliotheca.*

(g) *Ad* Tertull. *Apologet. Notâ* 270.

(h) *Catalogo Autorum præfixo Bibliothecæ Vaticanæ ſuæ.*

(i) Athenæus *l.* 15. *c.* 10. *p.* 686. *vocat* Ἀριστέαν Julius Pollux *l.* 9. *c.* 5. Ἀριστῆ ον. *eundem enim uterq; denotat, etſi aliter viſum Ger.* Voſſio, *qui Pollucem intelligit de Præconneſio. l.* 4. *de Hiſt. Gr. c.* 2. *p.* 348.

sive authoribus, mentionem. Quapropter huic rei vix ausim fidem ullam adhibere, nedum judicium meum interponere, donec de illis certior ab antiquo aliquo scriptore factus fuero. Alii (k) sunt Scriptores, qui sub Aristeæ nomine obvios mihi se dederunt, sed eorum ullum eundem esse cum Authore nostro, nemo quisquam dixerit. (l) Olympiodorus, ex Ecclesiasticâ Eusebii Historiâ, de *Commentariis* meminit in *Jobi* librum conscriptis ab Aristeo quodam; Judæo an Christiano, incertum. Si verò Judæus esset, non inepta forsan fuerit conjectura illum & Aristeam (sive Aristeum) nostrum fuisse eundem.

(k) Athenæus *l.* 14. c. 4. *citat.* Aristeum ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰουδαίων.

Nicolaus Myrepsus, Alexandrinus, *de Compos. Medicament: sectione* 1. *de Antidotis* 2. 9. *commemorat* Aristeam, *Rhodium medicum, tanquam scriptorem in Facultate sua. In serie Regum* Argivorum *affixâ* Eusebii *Chronico* Scalig. *p.* 363. *allegatur Historicus quidam, nomine* Aristeas Argivus, *ignotus* Ger. Vossio; *qui an idem sit cum* Aristeâ *illo* Argivo, *cujus mentio apud* Plut. *in Pyrrho p. mihi* 403. *penes alios judicium steterit.* (l) *Catenâ Græcâ in* Job.

3. Historiam LXX. Interpretum tradiderunt posteris (m) Josephus, (n) Eusebius, (o) Georgius Syncellus, (p) Joh. Zonaras, &, qui immensum quantum ab illis discrepat, (q) Epiphanius; Aristeæ nomen omnes exprimentes. (r) Philonem Judæum prætereo, & (s)

(m) *Ant. l.* 12 *c.* 2.
(n) *Præp. Ev. l.* 8. *c.* 2 & 9.
(o) *Chron. p.* 273.
(p) *Annal. t.* 1. *p.* 142.
(q) *De Pond. & Mens.*
(r) *De Vitâ Mosis l.* 2. *p.* 658. (s) *De Fide. Catechesi* 5. *p.* 79.

Cy-

Cyrillum, Hierosolymitanum Antistitem; aliosque multos, qui vel Aristeam nominatim non proferunt, vel historiam tantùm leviter tangunt & properante calamo.

4. Libellum de LXX. Interpretibus, qui hodie habetur sub titulo Aristeæ, genuinum non esse, sed confictum ab aliquo recentiore, suspicatus olim est vir doctissimus (t) Ludovicus Vives; post quem, (u) Leo Castrius, (x) Alphonsus Salmeron, & (y) Joh. Gregorius noster illum rejecerunt. (z) Serarius dicit: *Sanctum etiam Augustinum in lib.* 18. *de Civ. c.* 4. *videri negare Aristeæ libellum, qui hodie circumferur, omnino sincerum esse & germanum.* At quo oculi tunc Serarii? quo judicium? quo mens sese flexerat, cum hæc scribebat? Quid (sodes) Augustino rei cum *hodiernis* Aristeæ codicibus? Neque *hodiernos* ille, qui plus mille & ducentis abhinc annis discessit e vitâ, in dubium vocare potuit; neque illis quidem, qui suâ memoriâ ferebantur sub Aristeæ nomine, impostoræ crimen infert vel eo in loco, vel alibi usquam. Verùm, ut mittamus hoc Serarii deliramentum, receptior est sententia codicem, qui nobis hodie typis commendatur, genuinum

(t) *In S. Aug. de Civ. Dei l.* 18. *c.* 42.
(u) *Præmio in Isaiam c.* 35.
(x) *Prolegomeno Bibliaco sexto p.* 64.
(y) *In posthumo de LXX Interp. Tractatu, Anglicè scripto.*
(z) *Prolegomenis Bibliacis c.* 17. *Quæst.* 1.

minum esse ac germanum Aristeæ opusculum. In hanc cursu eunt Jac. Pamelius, suprà notatus, (a) Johannes D' Espieres, (b) Petrus Galesinius, (c) Rob. Cardinalis Bellarminus, (d) Antonius Possevinus. (e) Joachimus Periznius *mirantur* quid venerit in mentem Viri, ut librum, qui habetur in manibus, Aristeæ abjudicaret. (f) Margarinus Bignius *affirmat* neminem adhuc *hanc historiam Aristeæ non esse, vel repertâ & editâ aliâ Aristeæ historiâ vel certo aliquo argumento demonstrasse*: Accedunt hisce viri clarissimi pariter ac eruditissimi, (g) Jac. Usserius, (h) Brianus Waltonus, (i) Edvardus Simsonius, (k) Isaacus Vossius, &, ut verbo dicam, illorum in partes transit totus ferè literatorum cœtus.

3. Quam ob rationem, de codicis nostri veritate dubitationem posteris attulerit Vives, ex ipso non cognoscitur. Castrius & Salmeron, qui codicem illum *confictum fuisse, & ex Josepho, Aristæo vero, & aliis quibusdam compilatum*, statuunt, primum argumentum à differentiâ nominis arcessunt; allegantes, *scripterem hujus libri dici* Aristeam *per simplicem e in penultimâ*; *Priorem verò*, Aristæum *à Græcis Patribus*,

(a) *De LXX. Interp. Dub.* 1.
(b) *De LXX. Interp. p.* 10.
(c) *Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.*
(d) *Apparatu sacro, vocibus*; Aristeas & septuaginta duo Interp.
(e) *Observat in S.* Justini *Paranesin. p* 67.
(f) *In Bibliothecâ Patrum.*
(g) *Syntagmate de LXX Interp. & in Annalibus.*
(h) *Prolegomeno ad Biblia Polyglotta nono.*
(i) *Chron. ad an M.* 3719.
(k) *De LXX. Interp.*

*bus, hoc est, Justino, Epiphanio, Eusebio; et Josepho nominari.* Quibus Salmeron addit, antiqui nomen *in* ους, nostri vero vocabulum *in* αι *terminari.*

6. Quæ illorum ratiocinia dum huc descripserim, succurrit mihi in animum arbor quædam Americana, illis sanè simillima, cujus quæcunq; pars tangatur ab homine, vigorem amittit illicò et deflorescit. In primis enim crimini illis vertendum est, quòd dixerint, S. Justinum Aristæum illum appellare; nam de hoc Authore ne χρὺ apud Patrem illum invenitur. Deinde Salmeron gravissimè fallitur, quòd putet nomen ejus, Græcis consignatum literis, in ους exire; nullibi enim gentium audit Αριςαίους, sed Αριςαῖος, unde Latinis literis *Aristæus.* Si Logicam utriusque respexeris, toti erunt delirium. Quis enim cordatus Scriptorem, tanquam spurium atque adulterinum, idcirco repudiet, quòd discrepantia nominis hæc tantilla intercesserit? Verùm enim verò ignorárunt Castrius & Salmeron, vocabulum illud, *Aristeas,* quale Græcis fuerit; quibus quidem literis exprimi in recentioribus codicibus Authoris nostri nomen, non est cur quis miretur. Apud Græcos enim eôdem

eôdem reciderunt *Ariſtæas*, *Ariſteas*, *Ariſtæus*, & Ἀριστεύς: quæ omnia Scriptores priſcos animadverti confuſe uſurpare. Illorum, quorum memoria in Authorum plurium monumentis celebratur, ſoli (quantum obſervavi) *Actæonis* Patri contigit, ut ab omnibus, voce nunquam variatâ, nuncupetur *Ariſtæus*. Proconneſius ille decantatus, qui carminibus *Arimaſpeorum* titulo claris, & *Theogoniâ*, famæ nomen ſuum inſeruit, à (l) compluribus nominatur *Ariſteas*, ab (m) aliis *Ariſtæus*, apud (n) aliquos utramque indifferenter appellationem obtinet, neque deeſt (o) cui dicatur Ἀριστεύς. Sic Dux ille

(l) Plut. *Romulo*. Athen. *Deipnoſ. l.* 13. *c.* 8. *p.* 605. Joh. Tzetze *Chil.* 2. *Hiſt.* 5. Suidâ *in Lex.* Heſychio Mileſ. *de Philoſophis*. Herodoto *l.* 4 *c.* 13. Origine *contra Celſum l.* 3. *p.* 125. Gelſo, *ibid.* Maximo Tyr. *Diſſert.* 22. Appollonio Dyſc. *Hiſt. Commentit. c.* 2. Aulo Gell. *Noct. Att. l.* 9. *c.* 4 Anagraphe Olympiadum *ad Ol.* 50.

(m) Euſtathio *in Hom. Il. l.* 2. *p.* 250. *edit. Froben.* Dionyſio Halicarn: *Judicio de Thucididis Hiſt.* Tatiano Aſſyr. *Orat. contra Græcos, ad calcem.* Gregorio Theol. *Orat. Steliteut.* 1. *p.* 31. *edit. Savil. & Enarratore hujus* Nonno, *qui deceptus de ejus patriâ, ex Lebadiâ Bœotiæ cum Trophonio & Empedotimo illum arceſſivit.*

(n) Strabo *Geog. l.* 1. *p.* 15. *ſcribit* Ἀριστέας; *at lib.* 13. *p. mihi* 405. *habet* Ἀρισταῖος. *eodem planè modo*, Plinio *Hiſt. Nat. l.* 7. *c.* 2. Ariſteas *eſt*, *ſed c.* 52. Ariſtæus.

(o) Æneas Gazæus *in Theophraſto p.* 77. *pronunciat* Ἀριστεύς. *Sic ſtatua ejus, quæ apud* Metapontinos *viſebatur, ab illis nuncupata eſt* Ἀριστέας, *ut refert* Herodotus: *ſed ſecundum* Æneam, ἐπωνυμία Ἀριστεύς, *nomine* Ariſteus *fuit.*

Corinthius, qui ab (p) Herodoto vocatur Ἀρισίας ὁ Ἀδειμάντου, idem in (q) Thucidide Ἀριστεὺς ὁ Ἀδειμάντου nuncupatur. Quibus ex instantiis sat abundè manifestum redditur, quàm infœliciter Castrio Salmeronique successerit, Aristeam nostrum rejeciſſe, quia discrimen illud nominis intervèniat. Quantùm itaque objectionis pœnituisset illos, si exploratum eis fuisset, ipsum etiam nostrum Authorem apud Scriptores veteres appellari non modò *Aristæum*, (quod sibi persuasum habuerunt) sed etiam, *Aristeam*, *Aristeam*, & *Aristeum*? Quibus sanè modis omnibus nomen illius scribi, pro comperto habebit, qui (r) Scriptores consulat citatos in Margine. In quem quidem illos relegatos volui, ne Lectoribus purioris luti adducerem tædium

(p) *Hist. l. 7. c. 137.*

(q) *Hist. l. 1. p. 39.*

(r) Eusebius, Epiphanius, & ex Josephi *Antiquitatibus* Joh. Zonaras Ἀριστέον dicant; Josephus *etiam* Gor. *hist. Jud. l. 3. c. 2. habet* אריסתיאום Aristæus. *Non ita cæteri.* G. Syncellus *legit* Ἀριστίας, *ita* Alexander Polyhistor *Judaicam illius Historiam citans*, & Tertullianus *Apologet. c. 18. juxta* Pamelii *edit.* 1583. *qui tamen secundum codicem* Puteani, *& edit.* Rigaltii, *ponit* Aristæus; *ex editione verò* Barrii *anno* 1586. Aristeas. *Tantillum interesse, quomodo proferretur id nomen, transcribentibus visum est.* S. Hieronymus (*convenientibus ubique inter se editionibus* Erasmi & Mariani victorini) *Commentario in Ezech. c. 5. p. 343.* Aristeum (*nusquam* Aristæum) *scribit*; *attverò in Præfatione in Pentateuchum, & in Apolog. cont. Ruffin. l. 2. cap. 7. ubi eadem Præfatio recitatur, habet* Aristeam. *Accedat denique ipse* Flavius Josephus, *cui quidem in Opere Antiquitatum,* Ἀριστεῖ & *est*; *verùm libro 2. contra Ap. p. 1064.* Ἀριστέας, *in quarto sc. casu* Ἀριστέα.

longi

longi de nomine Criticiſmi. In quo tam multus non fuiſſem, (qui ipſe, ut qui maximè, ab id genus nugis abhorreo) niſi ut oſtenderem, Salmeronem & Caſtrium ita hoc argumento hallucinari, ut ad ſummam imperitiam reliqui nihil fecerint. Unde cuivis in promptu eſſe poſſit, quàm propenſi ad errores et delira ſint viri vel doctiſſimi; et, in rebus hujuſmodi controverſis, Authorem ipſum quantũ cunq; nullo loco numerandũ eſſe.

7. Alterum argumentum, quo obtineant Ariſteam noſtrum alium eſſe ab antiquo, Caſtrius & Salmeron exinde petunt, quòd ad amuſſim non conveniat cum illis locis, quæ in operibus quorundam Scriptorum veterum citata reperiuntur. *Deinde* (inquiunt) *Epiphanius, & alii Patres, qui de LXX Interpretibus ſcripſerunt, teſtem vocant Ariſteam eorum quæ dicunt, & quæ in hoc Ariſtæo minimè invenies.* Quæ quidem plaga nemini vulnus incutit intra extremam cutem. Tantum enim abeſt, ut *alii Patres* Ariſteam eorum teſtem vocaverint, quæ vulgatis deſunt codicibus, ut, qui hos & Euſebium contendat, argumentum ex eo deprompſerit pro illorum veritate. Nihil enim aut non ferè multum differunt; certiſſimè

non magis, quàm impreſſi aliorum Authorum codices ab ipſorum fragmentis, quæ extant in eodem Euſebio; vel quàm diverſa librorum exemplaria à ſe invicem diſcrepare ſolent. Quod etiam de Joſepho verum eſt, qui de re nullâ Ariſteam adducit teſtem quæ in hodierno non compareat, quamvis varias nonnullas exhibeat exprimendi formulas: quæ quidem non magis à noſtro exemplari, quàm ab Euſebiano vetere deſciſcunt. Et quantum attinet ad diſcordiam, quæ noſtro eſt cum Epiphaniano codice; ea nihil omnino facit à Caſtrio & Salmerone. Namque res illæ, quas ex Ariſteâ Epiphanius adfert, non plùs à noſtris recedunt exemplaribus, quàm ab illis ipſis, ex quibus quædam inter ſua monumenta retulerunt Joſephus, Euſebius, aliique Patres. Neque diſcrepant horum codices à noſtro pluſquàm à ſe invicem; ſicut luculentum erit, ſi illos inter ſe, & cum hoc, contuleris. Unde palàm eſt, Caſtrium & Salmeronem, qui codices illos, quos uſurpârunt Patres, genuinos fuiſſe agnoverunt, imprudentèr hoc nomine contra hodiernum inſurrexiſſe. De falſitate Epiphaniani codicis, aliorumque exemplarium diſcriminibus, pone-

ponemus inferiùs, quod ſentimus. Alia impræſentiarum nos expectant.

8. Joh. Gregorius addit, Ariſteam noſtrum & Joſephum injicere mentionem de *Heptaſtadio*, quodam aggere, per quem, ab inſulâ Pharo ad continentem uſque Ægypti porrectum, LXX. Interpretes ab urbe Alexandriâ in Pharum trangreſſi fuerint: unde contendit Ariſteam hunc eſſe fictitium, & ex Joſepho, hac ſaltem parte, conflatum fuiſſe. *Heptaſtadium* enim (ut inquit) à Cleopatrâ, Ægypti Reginâ noviſſimâ, condebatur; ideoque de illo nulla potuit mentio inferri ab Ariſteâ vero, qui ſcripſit multis ante Cleopatram annis. Joſephus verò, LXX. Interpretes per aggerem illum in Pharum ambulâſſe, addidit, quia per illum tranſiri ſuo tempore ſolitum fuerit. Ex quo factum eſt, ut poſterus hujus libri conditor, cùm ex antiquiorum monumentis illum congeſſerit, hanc etiam de *Heptaſtadio* particulam reſiduis aſſueret ex Joſepho. In hanc ſententiam Gregorius.

9. Verùm nihilo plus urget is, quàm reliqui. Reſpondemus enim, primò, *Heptaſtadium* adeò non à Cleopatrâ conſtructum fuiſſe, ut recentiorem Philadelpho ipſo conditorem nullum ha-

habuerit. Id, quod penultimo hujus libri capite demonſtraturi ſumus. Secundò, facturum eſſe rem nobis gratiſſimam, qui probatum fecerit, *Heptaſtadium* poſt regnum Philadelphi conſtructum fuiſſe: quippe qui ſubminiſtrabit nobis irrefragabile argumentum, quòd liber iſte, quem ſub Ariſteæ titulo recepit orbis literarius, non ab aliquo è Philadelphi Proceribus adornatus fuerit, ſed confictus à mendace quodam Judæo. Quod enim Gregorius ponit, illud à Joſepho infarſum fuiſſe, & in vero Ariſteâ non comparuiſſe, precarium omnino eſt, (ut ita dicam) & confutatum per ipſius Joſephi fidem, qui profitetur ſe omnia ex Ariſteâ deſumpſiſſe. Conficeretur itaque ex illo argumento, non, hodiernum ſolum, (quod voluit Gregorius,) ſed, veterem ipſum (quod noſtra fert opinio) fuiſſe fictitium.

10. Quòd Caſtrius, Salmeron, & Gregorius, recepto Ariſteæ codici infenſè adverſati fuerint, & contra illum argumenta hæc congeſſerint, id ſolum in cauſâ fuit, quòd per authoritatem ejus confutari videretur notiſſima iſta fabula, de LXX. Interpretibus, diſpoſitis in totidem diſtinctis Cellulis, & afflatis,

afflatis (inter interpretandum) Prophetico Spiritu. Unde eò coacti sunt angustiarum, ut nihil refugii reliquum sibi prospicerent, nisi confici posset Aristeam hunc fictitium esse. Finxerunt itaque librum hunc elucubratum fuisse à Judæo quodam, ut fidem de LXX. *Cellulis* infirmatam redderet, infensus Versioni Græcæ. *Videtur* (ait Salmeron) *hic liber suppositus, & ad elevandum fidem miraculi, de LXX. Cellulis editi, compositus.* Manifestum certè commentum, & stramineum ruituræ causæ fulcrum. Et sanè, si LXX. *Cellulas* Aristeæ nostri suffragio astrui posse concedamus, causam illius in integro esse, per Castrium & Salmeronem liceat. Atqui antequam exemplar nostrum ob eam rationem fuissent vexaturi, oportebat illos demonstratum dedisse, antiquos Aristeæ codices diversas celebrâsse *Cellulas*. Jamverò contrarium Scriptorum veterum authoritate comprobatur quàm certissimè. Josephus, qui Aristeæ vestigiis ex professo insistit, cum hodiernis concinit Aristeæ codicibus; & S. Hieronymus, Epiphanio coævus, disertis verbis testimonium dicit, Aristeam de nullis LXX. *Cellulis*, verùm unicà de domo meminisse. Eusebius Cæsariensis, qui

qui magnam Ariſteanæ hiſtoriæ partem adducit, eam portionem tranſilit, in quâ de vertendi modo methodoque agitur, illam profectò nequaquam facturus miſſam, ſi tanto miraculo inſignita fuiſſet. Adjice, quòd S. Auguſtinus, D. Hieronymo LXX. *Cellulas* habente riſui, replicare nihil aliud habuerit, præterquàm quòd *multi* illas aſſeruerint: cùm tamen, ſi apud ſuum Ariſteæ codicem de illis quicquam reperiſſet, eo uſus fuiſſet firmiſſimo argumento. Ex quibus luculentiſſimè evincitur, quantùm fallantur illi, qui, *Cellularum* cauſâ, in Ariſteam noſtrum adverſarios ſe intendunt, & contendunt illum à Judaiculo quodam, ad extenuandam illarum fidem, corraſum fuiſſe; quandò nec vetuſtior ille, quem legerunt Joſephus & ſancti Patres, de illis ullam habuerint mentionem.

11. Quinetiam, ſi rem ſeveriori ſubjiciamus examini, nihil comperiemus minori probabilitatis ſpecie ſuffultum, quàm quòd fingitur de libelli hujus ex veterum voluminibus conſarcinatione, aut de malitioſâ Cellularum expunctione. Etenim erudiri vellem quo quiſquam potuerit modo Ariſteæ tot exemplaria vitiare, ut nullum extaret Chriſtianis Patri-

Patribus integrum, nullum ad nos transmitteretur hac in parte incorruptum. Si novus Aristeæ liber conditus fuisset miraculi expungendi causa; innumeri apud Judæos Alexandrinos, infiniti insuper Christianis supererant genuini codices, unde detegi sine ullo negotio potuisset impostura. Neque minor erit difficultas, si velis (quod solum quidem dicendum fuerit) *Cellularum* tantùm memoriam erasam fuisse. Christianis enim Patribus, (quos, quid tradiderint genuini codices, latere non potuit,) aut vix, aut nullo modo potuissent adulterini obtrudi; quare nec ad nos deduci, genuinorum loco, potuissent. At, inquit Salmeron, *Aristæus verus penes Judæos erat, non autem penes gentes, quæ omnia quæ Judæorum erant irridebant: unde facilè potuit corrumpi.* Quæ loquitur tanquam si corruptionem putaret illatam, antequam naturam humanam induerat Salvator noster; et tamen antè decreverat Aristeam novum ex Josepho Christianisque Patribus fuisse conflatum. Atverò si nulli tunc temporis fuissent Christiani; nihilo tamen minùs per Judæos ipsos Helleniſtas stetisset, quo minùs obtinerent mutilati codices. Illorum e-

nim, non minùs quàm Chriſtianorum, interfuit, tam inſignem Ariſteæ traditionem religioſo tueri ſtudio. Remis haud dubiò veliſque, tanquam pro aris & focis, in id toti contendiſſent omnes Scripturæ Græcæ lectores, ut locum Ariſteæ tam inſignem, ſi qua manus illum ſacrilega adulterâſſet, in integrum reſtituerent, curâque religioſâ ab omni infenſorum impietate munire poſſent & protegere.

12. Porrò autem, ſi quis codicem hunc ementitus fuiſſet, vel, eliſâ *Cellularum* commemoratione, mutilâſſet, conſequitur, quòd hoc ad eum is finem fecerit, (quod noſtri Antagoniſtæ ſtatuunt) ut LXX. Verſionis authoritati detraheret. Jamverò ſcriptorem hujuſce libri nihil antiquius Græcâ Tranſlatione habuiſſe, tam certum eſt quàm quod certiſſimum. Totus enim inſudat Interpretum laudibus; authoritatem, dignitatem, eruditionem, ſapientiam eorum, magnificè extollit, decoratque encomiis. Quid quòd, Verſionem affirmat abſolutam quàm curioſiſſimè, & exquiſitâ cum perfectione? Tum præterea, nullam maculam in eam unquam irrepſiſſe, fidem facere conatur. Tam longè abfuit, ut honori Verſionis

sionis Græcæ detereret, ut ipse memoriæ dederit, ab omnibus acclamatum esse, *Benè & fideliter Interpretationem confectam fuisse*, quando coram Sacerdotibus, et principibus Judæorum, totâque reliquâ illorum turbâ, perlecta atque cum Hebræo archetypo comparata fuerit: utque rata in perpetuum maneret, neminique aliquid in eâ mutare liceret, diris devotos fuisse omnes, qui quicquam in eâ tentarent temerare. Quod demonstrationi est clarissimæ, Scriptorem nostrum minimè gentium voluisse existimationem Græcæ versionis violare vel offendere; sed è contrà, nihil magis in votis habuisse, in nullam rem majore cogitatione curâque incubuisse, quàm ut authoritatem illi fidemque adjungeret.

13. Atque hæc adversùs illos, qui astruendarum LXX. *Cellularum* gratiâ, de fide exemplarium vulgatorum lites severunt.

14. Eruditissimus (f) Ger. Vossius agnoscit veritatem illis constare, quæ ex Aristeâ tradiderunt veteres; alio (t) tamen in loco eò videtur inclinare, ut Aristeam existimet hodiernum non esse genuinum, atque id, propter argumenta Josephi Scaligeri. Verba enim faciens

(f) *L. 1. de H. st. Græcis c. 12.*

(t) *L. 1. c. 15. p. 77.*

ciens de Ariſteâ, quem laudant antiqui, Joſephus, Euſebius, &c. ſubjungit: *Extat hodieque liber ſub Ariſtæi ſeu Ariſteæ nomine de tranſlatione Legis per LXXII. Interpretes. Sed eum genuinum videri negat Lud. Vives. Scio Vivi in eo refragari cum alios non paucos, tum Card. Bellarminum, & Marg. Bigneum. Sed Vivi accedunt Leo Caſtrius, & Salmeron. Et profectò levia non ſunt, quæ pro hac ſententiâ adfert Joſephus Scaliger Animadverſionibus Euſebianis ad annum MDCCXXXIV. Ipſum adi.* Imò ipſum adi, Lector, & perſpicies, quàm falſus animi fuerit Vir maximus, cùm Scaligerum contra hodiernos Ariſteæ codices decertare cogitaret. Scaliger enim non negat noſtra eſſe germana Ariſteanæ Hiſtoriæ exemplaria; ſed Authorem iſtum, qui primò Hiſtoriam LXX. Interpretum in lucem emiſit, impoſtorem fuiſſe conficit. Impugnat is Hiſtoriam ipſam, non exemplaria; neque contra hæc faciunt illius argumenta. Eodem in errore cum Voſſio nonnullos alios verſari adverti, qui illos, qui Ariſteæ traditiones explodunt, cum illis, qui rejiciunt vulgatum duntaxat codicem, confundunt; &, quaſi nihil diſcriminis dogmatibus illorum inter-

intercedat, eiſdem argumentis utroſque refellere annituntur, Scaligerum in Salmeronis Caſtriique claſſem ingerentes. Atque ſuſpicor hoc aliis intuliſſe cauſam vocandi in quæſtionem vulgatos Ariſteæ codices; id ſcilicet, quòd in illos detorſerint argumenta Scaligeri, vel alia quædam ſimilia. (u) Chamierus, etſi ipſam traditionem parvi faciat, alicubi tamen videtur noſtrum hunc codicem in dubio poſuiſſe. Cæterùm quæ profert argumenta non noſtrum modò, ſed veterem ipſum, deſtruunt & convellunt. (x) Johannes Bona, Cardinalis, *Ariſteas* (inquit) *ſcripſit ad Philocratem hiſtoriam LXXII. Interpretum. Sed qui nunc extat ſub ejus nomine vulgatus liber, ſuppoſitus exiſtimatur; nam Latinus multùm differt à Græco, ex quo quædam Euſebius excerpſit. Sed & Græcum à Judæo quodam Alexandrino confictum eſſe docet Valeſius.* Si in eo eſſet Bona, ut crederet Valeſium, antiquum Græcum recepiſſe, ſed vulgatum rejeciſſe librum, in errore manifeſto fuit: et quantùmcunque Latinum Ariſteæ codicem (cujus diſcrepantiæ cauſa in Interpretem ſolum conjicienda foret) ab excerptis Euſebianis diſſonare cogitaret, ſi Græcum ipſum

(u) *Panſtratiâ Catholicâ.*

(x) *Notitiâ Authorum in ſuis Operibus citatorum.*

ipſum legiſſet, illumque compoſuiſſet cum Euſebio, verbatim pleraque omnia proferri agnoviſſet.

15. Damaſus quidem Papa (ſicut obſervavi) in (y) Epiſtolâ quadam ad S. Hieronymum, aliis, quàm Ariſteas noſter, nominibus deſignavit quoſdam ex numero LXX. Interpretum, inter illos recenſens *Matthiam*, *Ptolemæum*, *Muchium*, *Sacreum*, *Hydronium*, *Pamphylum*, *Zoaſtitem*, *Didymum*, *Sanium*, *Epiphanium*, *Ciatrem*, *Simonem*. Quarum omnium appellationum nulla, exceptis primâ & ultimâ, in vulgari libro legitur. Non me fugit hanc Epiſtolam *Damaſo* abjudicari, & ut ſpuriam explodi ab eruditis viris, quorum quidem in ſententiam facilè conceſſerim: ſed tamen, quiſquis ſcriptor fuerit, videretur illum legiſſe alium à vulgato noſtro codicem, ſaltem hoc in loco diſcrepantem. Atque hoc videtur objici in argumentum poſſe contra fidem recepti codicis. Attamen ſi rem accuratè æſtimemus, nullum erit, vel pertenue, quod ex eo duci queat. Nam primò, non liquet codicem illum in cæteris rebus à vulgato receſſiſſe; quapropter ſi aliquorum duntaxat nominum diſcrimen fuerit, nihil intereſt, utra editio ſit

(y) *Apud* Binii Concilia, *tom.* 1. *p.* 498.

ſit verior. Et ſi in aliis etiam partibus diſcrepantia fuerit, non tâmen exinde conficeretur vulgatam eſſe adulterinam, cùm idem ſit de alterâ periculum. Quis enim vadem ſe ſiſteret, non hanc, ſed illam eſſe ſuppoſititiam? Quinimò in ſpuriis vel corruptis habitam hanc fuiſſe à veteribus, inde colligi probabiliter poſſit, quòd ita iſtam neglexerint omnes, & nihili duxerint, ut nullum ejus editionis exemplar, in Bibliothecis tranſmiſſum, nobis extiterit. Et præterea, ſi Epiſtola illa ſpuria ſit, ſcriptor ejus à ſuſpicione, quòd illa etiam Interpretum nomina commentus fuerit, non multùm aberit; ut eo ipſo nomine apud viros eruditos authoritatis parum habere mereatur.

16. Epiphanianus Ariſteæ codex quàm longè diverſus ſit cùm à noſtro, tum à Joſephiano Euſebianoque, patet & in promptu eſt. Immane quantum diſſideat Epiphaniana Regis Epiſtola ab illâ, quam exhibent Joſephus, Euſebius, & codex vulgatus: eundem authorem non omnino ſapit, ſed ſtylo vario, variâ ſententiâ conſcripta, diverſa Regis deſideria continet. In noſtro, Joſephiano, & Euſebiano, perhibentur accita Judaicæ Legis volumina, & ſimul

mul cum illis LXXII. Seniores, qui illam Græco darent ſermoni: verùm in Epiphaniano codice Rex dicitur primò libros rogâſſe; illiſque receptis, per ſecundam, iteratâ legatione, epiſtolam petiviſſe qui illos Græcè loqui docerent. (z) Juſtinus Martyr, & (a) S. Auguſtinus eadem literis demandârunt; ex Ariſteæ libro aliquo, àn aliunde, pro certo non poſuerim. Juſtinum tamen vix aut ne vix quidem Ariſteam legiſſe, hinc licet colligere, quòd alio (b) in loco, ubi narrat hiſtoriam de LXX. Interpretibus, Philonem Judæum tantùm & Joſephum in partes advocat.

(z) *Apolog. 2. pro Chriſtianis p. 72.*

(a) *De Civit Dei l. 18. c. 42.*

(b) *Paræneſi ad Græcos. p. 14.*

17. Euſebii & Joſephi codices, quibus noſter accedit & Philò Judæus etiam videtur accinere, majorem veritatis ſpeciem præ ſe ferunt. Ab omni enim veriſimilitudine alienum eſt, Regem Ptolemæum primò libros, & poſtmodùm Interpretes acciviſſe; quandoquidem, ſi Legem ipſe Judaicam cupiviſſet legere, libros ſimul &, qui illos Græcè transferrent, homines unâ & eâdem legatione popoſciſſet, cùm ſcientiam ejus fugere non potuerit, libros illos, quos accerſeret, involutos fuiſſe Hebraico idiomate. Middenporpius

pius (c) ſuggerit concordiam inter hos libros inſtaurari poſſe; *ſcilicet utrumque fieri potuiſſe, ut & libros priùs miſerit Eleazarus, & pòſt alios elegantiores adhuc libros ſecum Interpretes in Ægyptum aſportare voluerint, metuentes fortè ne priores depravati vel corrupti eſſent ab Ægyptiis.* Cæterùm hæc nihil aliud ſunt, quàm puræ putæ nugæ, & cùm rebus ab Ariſteâ noſtro traditis nullo modo conveniunt.

(c) *Comment. in Ariſteam p. 65.*

18. Unde tanta contigerit pugna inter editiones Ariſteæ veteres, id me non habebit ſolicitum. Videtur verò Judaiculum quendam, (ſeu forſan Chriſtianum,) qui Græcâ linguâ uteretur vernaculâ, in librum compegiſſe quæ de opificio interpretationis alio atque alio modo jactata fuerint, & iſta ſub nomine Ariſteæ in publicum edidiſſe, aliquanto ſcilicet tempore poſt emiſſam primam Ariſteæ fabulam. Atque hinc videtur codicem diverſum ab eo, quem legerunt Joſephus & Euſebius, quique nobis etiamnum ſupereſt, Epiphanio veniſſe in manus, ut forſan Sancto etiam Auguſtino, & Pſeudo-damaſo. Utcunque factum eſt; codices illi, quibus uſi ſunt Euſebius & Joſephus, pro veris genuiniſque haben-

tur ab omnibus eruditis viris, & Epiphanianus in numero ſpuriorum ducitur. Cujus omnia quidem exemplaria jamdudum ad unum interciderunt, idque (ut conjecerim) ob eam ipſam cauſam, quòd illa, tanquam notha ſuiſque indigna Bibliothecis, neglectui habuerint literati viri; hunc unum, quem legimus, librum ſuis in armariis recondentes. Et ſanè ſi ſtylum ipſum utriuſque codicis propiùs inſpiciamus, haud difficile fuerit explorare Epiphanianum conſarcinatum fuiſſe à nugatore Græcæ linguæ magis imperito, quàm vulgatum noſtrum codicem; quem (d) Iſaacus Caſaubonus, Criticus (ſi quis alius) eruditus, teſtatur æva vetuſtiora reſipere.

(d) *Citat. à Cl. Watono in Prolog. ad Bibl. Polyglot.*

19. Notandum autèm non idcirco me aſſèrere genuinum eſſe hodiernum codicem, quin eum exiſtimem ſuis laborare vitiis: nullus enim nego non nihil mendarum irrepſiſſe per incuriam dormitantium librariorum, quòd præſtantiſſimus accidit plerùmque libris. Et (quod majus eſt) crediderim moraſe quoddam documentum inſertum fuiſſe à Chriſtiano quopiam: quod quamobrem ſuſpectum habeam, in Capite hujus libri ſupremo ediſſeram. Cæterùm, illum

illum verum esse contendo adversùm illos, qui, authoritatem antiquis tribuentes codicibus, vulgatum hunc adulterinum prorsus & fictitium esse statuerunt. Imò eousque genuinum illum esse dicimus, profitemur, & prædicamus, ut, ubi peculiare nihil repugnet, non minùs sit habenda ratio authoritatis ejus, quàm illorum exemplarium, quæ Josephus, Eusebius, vel alii priscorum quivis usurpârunt; quippe in quæ, non minùs utique quàm in nostrum, conveniret suspicio, siqua discrepantia intervenerit.

20. Quantum verò ad ipsam Historiam spectat, quæ hodie recipitur, & à Josepho Eusebioque & cæteris celebratur; credo illam non conditam fuisse ab Ethnico aliquo Philadelphi Aulico, sed à Judæo quodam recentiore, ad augendam Versionis Græcæ authoritatem, malà fide confictam.

## *CAP.* II.

Hiſtoria LXX. Interp. *quare conficta ſub titulo* Ariſteæ. §. 1. *Recenſentur Scriptores qui illam impoſturæ inſimulant & explodunt.* 2. *Rev.* D. Brianus Waltonus & Salianus, Scaligeri & Salmeronis *ſententias inter ſe confundunt.* 3. Ariſteæ *aſtutia & fraus detecta. Diaria apud Reges in uſu.* 5.

QUO tempore floruerit, ſive cujas fuerit, Judæus an Græcus, *Ariſtæus* ille, qui *Hiſtoriam Judaicam* contexuit, nihil comperti habetur. Illum tamen intra annos ab initio Ptol. Philadelphi ducentos vixiſſe, exinde conſtat, quòd Alexander Polyhiſtor in Opere ſuo *de Judæis*, illius teſtimonio uſus fuerit: qui ipſe claruit Olympiade circitèr ſeptuageſimâ tertiâ poſt centeſimam. Et ſanè, cùm liqueat Scriptorem libelli de LXX. Interpretibus ſimulare quaſi idem fuerit cum illo qui Hiſtoriam Judaicam edolavit, videatur illum inter Philadelphi Proceres

ceres numeratum fuiſſe, vel ſimulationem talis viri induiſſe, Hiſtoriamque ſuam *Philocrati* cuidam, Fratri ſuo, dicâſſe. Et conjecturam inire licet id in cauſâ fuiſſe quòd recentior Judæus, Libellum de LXX. Interp. commenturus, Authoris illius nomini iſtum ingeſſerit, & *Philocrati* quoque nuncupârit.

2. Hiſtoriam de LXX. Interpretibus à Judæo quopiam Ariſteæ, Ægyptiaco Magnati, mendaciter affictam fuiſſe & publici juris factam, ante nos ſtatuerunt viri (c) quamplurimi, judicii &

(c) Joh. Scaliger *Animad. in* Euſebium *ad num. MDCCXXXIV.* Sethus Calviſius *Chronol. ad an. M.* 3681. Hen. Valeſius *in Hiſt. Eccleſ.* Euſebii. *l.* 5. *c.* 9. Simon Epiſcopius *Inſtit. Theol. l.* 5. *ſect.* 1. *c.* 21. *p.* 275. Andræas Rivetus *Iſag. ad S. Scrip.* Gul. Hen. Vorſtius *in* R. Davidis Garzii *Chronol. p.* 256. Joh. Croius *Obſervat. in* N. Teſt. *c.* 30. *p.* 224. Joh. Lightfootus *Horis* Hebr. & Talmudicis *in Epiſt.* 1. *ad* Corinth. & *alibi.* Petrus Simonius *Crit. Sacrâ l.* 2. *c.* 2. Joh. Wowerius *Syntag. de Græcâ & Lat. Bibliorum interpretat.* Rob. Bailius *Opere Hiſt. & Chronologico l.* 1. *p.* 215. Dan. Heinſius *in* Ariſtarcho. Sam. Mareſius *Collegii Theol. loco* 1. §. 41. Dan. Chamierus *Panſtratiâ Cathol. l.* 12. *c.* 1. §. 15. & *l.* 13. *c.* 4. §. 8. Joh. Weemſius *Exercitationibus Theol.* Anglicè *conſcriptis, l.* 1. *p.* 146. Arnoldus Bootius *Epiſt. de Hebr. Veritate contra* Lud. Capellum, *ſect* 30. *ubi* ſeptuagenarium *Interpretum numerum vocat* fabulam. *His accedere videntur* Joh. Bona, Card. *in loco ſuprà allegato.* Franciſcus Junius *Notis ad* Tertull. *Apolog. c.* 18. *Nobiliſſimus noſter* D. Joh. Marſhamus *Chronico Canone, Seculo* 9. *p.* 146. &c. Ægid. Menagius *in* D. Laert. *p.* 130. Auguſtinus Steuchus *Præf. Recognitionis V. Teſt. in dubiis habet, utrùm facta fuerit Interpretatio Græca ſub* Ptol. Philadelpho (*quem ponit* Ariſteas) *an ſub* Ptol. Lagi (*quem alii ſtatuunt.*) Reinerum *etiam* Reineccium *Hiſt. Juliæ ſive Syntag. Heroici parte* 3. *p.* 67. *de traditione* Ariſteæ *ſuſpenſo ſaltem animo fuiſſe colligi videtur poſſe ex his verbis.* Etſi ſunt qui meritum illud Ptolemæi Patris eſſe velint, ut meminit Clemens. Nec minùs de Ptol. Philadelpho aqua hæret. Verùm iſta miſſa faciamus.

cru-

eruditionis nomine celeberrimi, quorum multos hìc conſcripſimus, ut compareat omnibus quot & quantos tenemus in noſtras partes transfugii manifeſtos. Jacobus Uſſerius, illuſtriſſimus Armachanus Antiſtes, hiſtoriam quidem aſcriptam Ariſteæ veram eſſe contendit; cæterùm de eo, an Ariſteas eam ipſe condiderit, an alius quiſpiam illius nomine emiſerit, videtur animi pendere. Dicens enim Ariſtobulum, antiquiſſimum Judæum, qui de LXX. Interpretibus meminit, notitiam Demetrii Phalerei, cujus monitu rem peragi contigiſſe ſcribunt, ex Ariſteæ Hiſtoriâ habuiſſe, (f) ſubnectit. *Si hoc deſumſit Ariſtobulus, qui proximo poſt Ariſteam ſcripſit ſeculo, ſi non ab ipſo Ariſteâ, ab alio ſaltem aliquo, qui ab illius & rei geſtæ tempore quam proximè abfuit, ſub perſonâ Ariſteæ (quemadmodum ſub Orphei Lebethrii perſonâ Orpheus Crotoniates ſua ſcripſit Argonautica) hunc de LXX. librum fuiſſe editum, ut dicamus neceſſe eſt.* Jamverò ſi concedatur librum illum ab Ariſteâ ipſo, Philadelphi Aulico, confectum non fuiſſe, ſed ab alio illius nomini ſuppoſitum, tota ſtatim corruet Hiſtoriæ authoritas, & unicuique pro lubidine, ubi ratio aliqua rei traditæ

(f) *Syntag de LXX. Interp. c. 1. p. 3.*

ditæ repugnaverit, rejiciendi quidvis libera erit licentia. Neque tamen id ſolum, quòd libellus iſte ab alio, Ariſteæ ſub titulo, compoſitus fuerit, verùm etiam quòd à Judæo quodam turpiter ignaro atque mendaciſſimo id factum fuerit, doctiſſimi viri decreverunt.

3. Illis omnibus lucem præferendi laudem meretur celeberrimus Joſephus Scaliger, cujus argumenta *non levia* eſſe cum Ger. Voſſio fatebuntur omnes qui ſuum excuſſerint præjudicium. Reverendiſ. (g) Waltonus, Ariſteæ cauſam agens, magnâ irarum mole inſurgit: "*Nulla*, inquit, *dari poſſit ratio, cur* "*libellum hunc fingerent Judæi*: Ut au- "thoritatem hujus verſionis elevarent, "*dicit Salmeron*, miraculum Cellularum "ſilentio ſuo extenuando. *E contra*, ut "authoritatem huic verſioni conciliarent, *ait Scaliger*, fingendo prodigia "circa hanc Verſionem. *Sic alter alterius fundamenta convellit.* Utcuncunque ſibi in hoc placuerit venerandus Præſul, nihil aliud tamen evincit argumentum ejus, quàm quòd ipſe (quod pace tantorum Manium dixiſſe liceat) controverſiæ ſtatum non ſatis intellexerit. Etenim hoc ipſum eſt, quod Capite præcedente de Ger. Voſſio querebamur,

(g) *Prolegom. ad Bibl. Polyglot 9. c. 4.*

bamur, illum nullam inter Scaligeri Salmeroniſque dogmata diſcrepantiam percepiſſe, quæ tamen toto cœlo à ſe invicem peregrinantur. Contrarias rationes afferunt Scaliger & Salmeron; & egregiè fallitur, qui id in argumentum contra ſententiam Scaligeri ducendum putet. Non enim contrarias rationes pro eâdem opinione (quòd innuit cl. Vir) producunt, ſed pro omnino diſtinctis. Salmeron (uti ſupradictum) primitivam, quæ apud Patres & Joſephum habetur, Ariſteæ Hiſtoriam recipit, ſed, quæ nobis ſupereſt integra, deſpectui habet, quippe quam à nuperioribus Judæis, qui Biblium ſolum Hebræum legerint, arbitratur confictam ad extenuandam fidem antiquioris, quam ſomniavit de LXX. *Cellulis* aliquid continuiſſe. E contrà, Scaligero non curæ eſt, utrùm hodierni codices, iidem ſint cum veteribus necne, de quo tamen, (quantum intelligo) nuſquam dubitat; id ſolum ei negotium eſt, ut demonſtret, Ariſteæ totum quicquid extat, vel unquam extiterit, nothum eſſe & ſceleratâ fide poſteritati impoſitum. Rationemque cur Judæi Helleniſtici talia de Græcâ ſuâ Tranſlatione mentirentur, exiſti-

existimat fuisse, ut ad illam, afferrent dignitatem quantam maximam potuerunt; & Hebraizantibus, quibus in contemptionem venerant, persuaderent, se non temerè Græcæ adhæsisse Versioni; cùm tantâ cum authoritate Pontificis adornata fuerit, à tantis insuper hominibus, perfectioneque usqueadeò ab omnibus probatâ. Quod quidem certissimè causæ fuit, cur Historia illa cuderetur. Cum Cl. Waltono Jacobus Salianus hallucinatur quòd opinionem Scaligeri à Salmeronis non distinxerit, & ineptè cum Scaligero cavillatur. Commemorans enim Leonem Castrium putare libellum Aristeæ hodiernum confictum à Judæo quopiam, subjungit.* *In eâdem est sententiâ Salmeron, & Scaliger in Euseb. quem accuratè refutat Gretserus.* Paulo pòst. *Quid porro sibi velit Burdo* (id est, Scaliger) *non intelligo, dum ait, Aristeæ nomine confictum librum à Judæis Hellenistis, qui hodie in manibus omnium sit, & ex quo hauserit Josephus, & alii qui hac de re tractârunt. Quomodo enim hausit Josephus, & alii antiqui Scriptores ex confictо Aristeâ? Certè quicunque confictum Aristeam dicunt, recèns confictum dicunt. Quomodo ergo Josephus*

* *Annal. ad an. M. 3775. p. 365*

*& alii antiqui ex recente ſcriptore hauſerunt, multis ſcilicet ſeculis antequam ederetur in lucem?*

4. Subolet jam tandem nobis fumus iſte, quem credulis tot ſeculis Impoſtor vendidit; exutus eſt Aſinus leoninâ pelle; & ὑπεξοστὰς, è Curiâ pulſus, in latebras Alexandrinas demittitur; unde, Ranarum Pharaonis inſtar, in ipſum Regis palatium irrepſerat. Qui Aſylum in *Serapêo* quæſivit, idem jam in *Synagogâ* invenitur, machinatus nugas, & crepundia credulis meditatus. Sanè, (ut (h) Wowerii verbis uti liceat) nunquam tam gravem mentiar ſomnum, ut perſuaderi mihi patiar huic hiſtoriæ nihil alieni aut falſi admixtum eſſe. Certè plus elargitus Author eſt quàm veritas concedebat, ut Judaicæ gentis nomen illuſtraret; ejuſque Legis admirandas & divinas virtutes orbi proponeret. A quâ vanitate minimè abhorrent Judæi, qui ſine ullâ religione, neglectâ omni ſpecie veri, mentiri auſi ſunt, quaſi tota poſteritas Midæ aures, (quod Tertullianus ait,) aptas eorum fabulis aſſumpſiſſet. Nulla mihi impoſita neceſſitas adverſùs faciles & inanes diſputare, liberum cuivis judicium erit. Quanquam ſi rectè

(h) *Syntag de LXX. c. 2. p. 27.*

rectè rationem temperemus, &, discussâ caligine, vulgaris opinionis rem totam intueamur; fallor aut constabit multa esse inconditè dicta, etsi magno applausu recepta, & inveterato errore valida. Quis audebit inficiari, plurima scatere in illis Commentariis, quæ Judæam referunt vanitatem? Quis audebit negare, infinita præter rem & adversùs historiæ veritatem Helleniſtas affinxisse? Nunquam à me impetrabit superstitio, ut a veri judicii normâ desciscam.

5. D. Waltonus, suprà citatus, de hac causâ appellat Annales Ægyptiorum, in quibus dicit eandem historiam enarrari, & in eam rem authoritatem Galesinii profert: quasi Galesinius vel Annales illos legisset, vel quod dicit ex alio aliquo authore probare potuerit, quàm per fluxam Aristeæ fidem! A quo quidem prudenter præcautum & provisum est, ut, ad *diaria* Regis provocando, lectorem suum persuasum haberet, se nihil scripsisse nisi quòd in ipsa *diaria* regestum fuerat, & testimonii tanti fide confirmari potuit. Referens enim, ut Rex Interpretibus singulis Quæstionem quandâ Ethicam aut Politicam proposuerit, & Interpretes

ei extemporali ſagacitate ſatisfecerint, reſponſis omnibus in medium adductis, ſubnectit, ſe omnia ex *diariis* regiis deſcripſiſſe. Illius verba facere non poſſum quin huc attexam. *Exiſtimo autem fore, ut omnibus qui hæc ſunt lecturi, videantur ea ſupra fidem eſſe. Sed profectò non licet aliquid falſi narrare de illis quæ excepta & annotata ſunt, & nefas judicem etiam præterire aliquid in hujusmodi rebus: ſed ut hæc ſunt acta, ita ea expoſui, ut vitarem omnem errorem. Licèt ipſe hæc omnia percepiſſem, tamen ſtudioſè iſtam expoſitionem meam accepi ab illis, qui ſingula quæ fiunt & dicuntur in regiis negotiis & conviviis excipere & annotare ſolent. Nam ut ipſe ſcis, hic mos eſt, ut quo die Rex incipiat publica negotia agere, omnia excipiantur ſcripto & quæ dicantur & quæ gerantur: id quod rectè & utiliter fit. Nam hinc ſequente die, & acta & dicta præcedentis, antè quid denuò publicè agatur, perleguntur, & ſi quid parùm rectè eſt geſtum, id emendatur. Inde ergo cùm eſſent omnia accuratè perſcripta, nos hæc, ſicut dictum eſt, deſumpta & ſelecta ad te miſimus: non ignari quantum ſit tuum ſtudium ad cognoſcenda utilia.* Vulgaris eſt & trita mendaculorum aſtutia, ſpe-

ſpecioſis id genus figmentis allinere & aſtruere mendacia ſua. Nec admirationem ea res habet, quòd Ariſteas auſus fuerit mendacium facere de negotio tali, quod ex *diariis* ipſis videretur facillimè redargui poſſe? Non enim multum erat, quamobrem vereretur impoſturam ſuam patefactum iri? Quis enim in rebus id genus eo tempore curioſus fuit adeò, ut negotium ſibi ſumeret regias *ephemeridas* evolvendi? Judæi fidem adhibuerunt nimiam, quàm ut id laboris ſibi faceſſerent; Græcis nimiùm Judaica quæque deſpicatui ducta ſunt. Neque veriſimile fuit Hebraizantes Judæos de re illâ uſqueadeo ſolicitos fore, ut regiſtra Regum pervolutarent. Hoc ſaltem quis concipiat Impoſtorem potuiſſe ſpe præſumere. Utut eſto; experimentis tamen quotidianis exploratiſſimum habemus, nullo impoſturæ detegendæ metu deterreri mendaces, quin orbi imponant. Infinitis exemplis conſtat quàm ſplendidè mentiri auſint, quàm audacter fingant ineptiantque, etiam dum ipſi probè nôrint, veritatem à curioſis explorari facilè perſpicique poſſe: utpote qui à paucis ſibi non timent, modò multos decipiant. Perſenſit Ariſteas non modo

dò è reſuâ fore, ſed planè neceſſe ſibi eſſe, hoc commentum de reſponſis in commentarios regeſtis publicos, reſiduis affingere mendaciis ſuis; quia tot & tam prolixarum reſponſionum repetitio nimium quantum detraxiſſet à rei veriſimilitudine, niſi addidiſſet ſingulorum virorum verba inter loquendum in literas miſſa fuiſſe. Et forſan ejuſce rei cauſâ confinxit conſuetudinis fuiſſe apud Philadelphum dicta & acta omnia committere literis. Quem tamen morem obtinuiſſe non auſim inficiari; quippe qualem apud alias nationes inſtitui pro explorato eſt. In Indiâ enim vix aliquid vel agit vel loquitur Magnus Mogul, quod in libros non conjicitur, velut peregrinati perhibent. Et, ne memorem Commentarios Chronicos Ahaſueri Regis, in Eſtheræ (i) libro celebratos, qui videntur *diariorum* naturam retuliſſe; (k) Athenæus docet Diodotum Erythræum & Eumenem Cardianum (de quo etiam (l) Ælianus meminit) Alexandri M. *Ephemeridas* ſcripſiſſe; atque ejuſdem argumenti librum à Strattide Olynthio edolatum fuiſſe teſtatur Suidas. (m) Plutarchus *Ephemeridum* Alexandri M. meminit, in quibus notatum

(i) *Cap. 6.*

(k) *Deipnos. l. 10. c. 9. p. 434.*

(l) *Var. Hiſt. l. 3. c. 23. vbi pro* τὸν μὲν ὁ Καρδ. *lege* ἐυμένης ὁ Καρδ.

(m) *Sympoſiac. l. 1. Quæſt. 6.*

tum fuit Alexandrum, hoc, illo tempore ex longâ compotatione dormitâſſe: quem ad modum (n) Nicobula (ſive qui illi ſcriptum id tribuit) obſervat Alexandrum certo tempore è convivio ſomno ſemet tradidiſſe. Anonymus quidam Græcus in Demonſtrationibus Chronographicis, cum Verſione (o) Combefis editis, locum adducit ἐκ τῆς κατὰ ὥραν Μαυρικίου Αυγούστου, *ex Mauricii Imp. Diario*, ſive *Horario*. Cæterùm tametſi quæ apud Alexandriæ Reges dicebantur & fiebant, in publicas referri tabulas conſueverint; Ariſteæ tamen Hiſtoriam ex illis deſumptam fuiſſe, non ita judicium meum proſtituerim ut adducar ut credam. Non debemus ſuſpicere & admirari quodcũque audacia temeraria luſerit, vel noſmetipſos tam faciles præbere, ut nos in amorem rapiat fucata quæque deformitas.

(n) *Apud Athenæum loco cit.*

(o) *In* Manipulo *Originum rerumq; Conſtantinop. p.* 21. *ed. cum* Leonis Allatii Opuſculis.

CAP.

## *CAP.* III.

Judæi *ad figmenta proni* §. 1. Ariſteæ *codicem, quo uſus eſt* Epiphanius, *à* Judæo *ſcriptum fuiſſe demonſtratur.* 2. *Impugnatur* Ariſteæ Hiſtoria, *argumento exinde ducto, quòd tradit* Demetrium Phalereum §. *Scripturæ vertendæ tempore Bibliothecæ* Alexandrinæ *præfuiſſe; quod* Hermippi *teſtimonio probatur fieri non potuiſſe.* §. 7.

QUàm dedita fuit & addicta figmentis gens Judaica, uſqueadeo elucesçit omnibus, qui illorum negotiis ſe vel minimùm miſcuerunt, ut fruſtra ſimus, ſi quas inſtantias congerendo hìc loci laboremus. Et, poſt oſtenſum, binos fuiſſe libros Ariſteæ inſcriptos, & ſtylo & ſententiâ (quoad partes ſaltem aliquas) diverſiſſimos, ſupervacaneum fuerit quicquid afferremus argumenti ad evìncendum Judæos Hiſtoriam illam LXX. Interpretum fuiſſe commenturos. Neceſſariò enim inde conſequitur alterutrum illorum fuiſſe fictitium, unde liquet

liquet nihil per Judæorum honestatem obfuisse, quin & alter fingi potuerit. Quis omnium exinde non convincitur Judæis quibusdam id curæ & negotio fuisse, ut Versionis Græcæ dignitatem per fas aut nefas extollerent; ut historiam de illâ procuderent, quæ religionem quandam ingeneraret hominū animis?

2. Codicem Epiphanianum habuisse pro authore Judæum aliquem, non opus est alio argumento quo comprobetur, quàm quod accersi possit ex Epistolâ Regis posteriore, quæ ab hac inchoatur parœmiâ. Θησαυρῶν κεκρυμμένων, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τί ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; *Thesauri absconditi & fontis obsignati quæ utilitas in utrisque?* Ubi in Epistolâ *Græco* Regi affictâ, quis non statim advertat manifestum Hebraïsmum? Eumque ex illis, Ecclesiastici XX. 30. & XLI. 18. (observante (p) Usserio maximo) expressum: Σοφία κεκρυμμένη, καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις. *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque.* Qui liber tamen post obitum Regis Ptolemæi Philadelphi, Syracide emittente, aspexit publicum.

(p) *Annal. ad an. M.* 3727.

3. Alia sunt huic codici peculiaria, quæ clarissimè docent illum ab Helle-

niſtâ quodam ſciolo conſcriptum fuiſſe. Epiphanius ex eo narrat Demetrium Phalereum, cùm Rex ſciſcitaretur quot volumina in Bibliothecâ congeſta fuerint? reſpondiſſe, quòd fuerunt quinquaginta & quatuor librorum millia, cum octingentis plus minus: atque hæc addidiſſe: Ἀκούομεν δ' εἶναι πολὺ πλῆθος ἐν τῷ κόσμῳ ὑπαρχόντων, παρά τε Αἰθίοψι καὶ Ἰνδοῖς, Πέρσαις τε, καὶ Ἐλαμίταις, καὶ Βαβυλωνίοις, Ἀσσυρίοις τε, καὶ Χαλδαίοις, καὶ Ῥωμαίοις τε, καὶ Φοίνιξι, Σύροις τε, καὶ τοῖς ἐν τῇ Ἑλλάδι, ὅπω Ῥωμαίοις καλουμένοις ἀκμὴν ἀλλὰ Λατίνοις. *Audio tamen longè plures eſſe toto orbe terrarum: ut apud Æthiopas, Indos, Perſas, Elamitas, Babylonios, Aſſyrios, Romanos, Phœnicas, Syros, eoſque qui in Græciâ habitant, qui nondum Romani vocantur, ſed Latini.* Ad quæ verba Petavius profitetur probabile eſſe, Romanos nondum per illa tempora tantâ Scriptorum copiâ & authoritate floruiſſe, ut à Demetrio id dici potuerit; neque quicquam admodum præter 12. Tabularum Leges, aut Pontificum Annales, atque id genus obſcura quædam illos penes ſe habuiſſe.

4. Deinde explicari vellem, quomodo poſterius iſtud membrum a graviſſimo errore vindicari queat. Nam per

per, πῶς ἐν τῇ Ἑλλάδι, vel Græcos ipsos designat Scriptor, vel Italos illos qui Græciam Magnam habitârunt; eosque vult vocatos tunc fuisse *Latinos*, post ætatem verò suam *Romanos*: Si priores; quàm ridiculum est dicere Græcos prius *Latinos* appellatos fuisse, postea temporis *Romanos?* Nam etsi Græci post translatum in Orientem imperium vocati fuerint *Romani*; unde, ἡ Ῥωμαίων, & *Romanus orbis*: nunquam tamen appellati sunt *Latini*. Si posteriores: non minùs à vero divagatur; constat enim Italos Magnæ Græciæ populos, *Latinorum* nomen nunquam habuisse. Petavius doctissimus suspicatur illa ἀπὸ Ῥωμαίοις τε, sede suâ luxata esse, & post, ἐν τῇ Ἑλλάδι, reponenda; quoniam alieno loco inter Chaldæos & Phœnicas Romani positi videntur. Cæterùm nihil miri est, si levis id genus authoriolus, si triobolaris Hellenista ridendum se propinârit, & ab Oriente in Occidentem tripudiârit, atque inde mox retrosum sub sultârit in Orientem. Quod quidem ab illo fieri fateamur necesse est, cùm quamvis, ut Petavius disponit verba, legeretur; liquet tamen illum á Phœnicibus & Syris in Italiam currere, atque inde in Judæam

reſilire. Sequitur enim: ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦς Ἱεροσολύμοις καὶ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ &c. Quinetiam, ſi ex correctione Petavii ſit legendum, tum ſenſus erit, Romanos Ptolemæi Philadelphi tempore nondum obtinuiſſe Romanorum vocabulum, quod etiam immane dictu fuerit, & Epiphanio prorſus indignum.

5. Porrò quocunque ſenſu ea verba ſumantur, apparent eſſe alio nomine tam abſurda, ut nihil magis. Nam quicunque populus deſignetur, ſi nondum *Romani* fuiſſet appellatus, quomodo potuit Demetrius ſcire, eo illum nomine vocatum iri? Satis quidem novi Petavio viſum eſſe, hæc parentheſi claudenda eſſe, & vertenda *(nondum ij Romani vocabantur ſed Latini;)* quaſi Epiphanius iſta non ex perſonâ Demetrii ſcriberet, ſed inſereret ipſe, & ad Demetrii orationem attexeret. Hæc verò conjectura dubia ſaltem, & incerta eſt, ne dicam veri neutiquam ſimilis: ſi enim parentheſis in amplexus illa ſe verba conjeciſſent; non eodem, quo exhibentur, modo, ſed ita *(meo* quidem animo*)* ſeſe habuiſſent: Ῥωμαῖοι αὐτοὶ οὔπω ἐκαλοῦντο ἀκμὴν, ἀλλὰ Λατῖνοι.) Et, non eſt cur curemus excuſationis velum Scriptori tali obtendi,

vel

vel existimemus id nimis absurdum esse, quàm ut scribi posset ab illo; qui eòusque ineptiarum processit, ut, cùm Epistolam sub Regis Ethnici nomine procuderit, exordium illi peteret ex Judaico libro, eoque (ut videtur,) Rege illo regnante, nondum Hebraicè conscripto, nedum Græcè converso. Quod ad Epiphanium ipsum spectat, qui sine ullâ examinatione locum tam absurdum ex Judaiculo descripsit; quid dicendum sit cur excusatus is abeat, ipse viderit. Si quisquam sit cui placeat hæc in margine à Lectore sciolo annotata fuisse, & inde in textum irrepsisse, (quod fieri potuisse, me amicè admonuit Henricus Dodwellus, Vir piissimus, eruditione secundus nulli, humilitate mortalium omnium facilè primus, quem honoris causâ nomino) illi in hoc accedam, si modò vel unus manuscriptus Epiphanii codex, qui careat particulâ istâ, productus fuerit. Verùm si universa consentiant exemplaria, videtur minimè rationis esse, istius absurditatis causam Annotatori alicui relegare.

6. Animadverto præterea phrasin illam, ἐν τῷ κόσμῳ, quam sanè in illo sensu vix ferent eruditi Grammaticorum

rum Filii; apud ſcriptores enim Helleniſticos (ni fallor) ſolos reperitur, non Græcos, qui, (putà Demetrius Phalereus, & Ariſteas Ptol. Philadelphi Aulicus,) dixiſſent, ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ. Scriptor evulgati Ariſteæ codicis majorem linguæ Græcæ peritiam aſſecutus fuerat, qui ſcribit, ἅπαντα τὰ τῶν Ἑβραίων βιβλία, & alibi, παρὰ τῶν Ἑβραίων.

7. Inter omnes Ariſteæ codices convenit Demetrium Phalereum Bibliothecam ſimul & Interpretationis opus ſub auſpiciis Regis Philadelphi curaviſſe. Atverò Demetrium illum ſtatim poſt exceſſum Ptolemæi Lagi, à Philadelpho regnum ineunte relegatum fuiſſe, & in cuſtodiâ diem clauſiſſe ſuum, teſtis eſt incorruptus atque integer Hermippus apud Diogenem Laertium in Vitâ ejuſdem Demetrii, cujus verba tranſcribi expedit, quæ ita ſe habent: Φησὶ δ' αὐτὸν (Demetrium Phalereum) Ἕρμιππος, μετὰ τὸν Κασάνδρου θάνατον φυγόντα Ἀθήνησιν, πρὸς Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα. κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα, συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ φόρους τοῖς ἄλλοις, καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης παιδεῦσαι παισί. τοῦ δ' ἀποθανόντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῇ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνης τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τέλος παραφυλάξαι ἐν τῇ χώ-

ρᾳ

ρα μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. ἐνταῦθα ἀθυμότερον δίηγε, καὶ πῶς ὑπνώττων, ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν Σίον μετέθηκε καὶ θάπτεται ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ, πλησίον Διοσπόλεως. Hoc est: *Hermippus tradit illum, post Casandri mortem, Antigonum metuentem, ad Ptolemæum Soterem venisse; apud quem satis diu quum fuisset, præter cætera, ei consilium dedisse, ut regnum Eurydices filiis relinqueret: quod cùm ei non persuasisset, sed contrà is diadema Berenices filio obtulisset,* ait *hunc ipsum post ejus mortem illum in ditione suâ custodiri jussisse, donec de illo aliquid statueretur. hoc in loco demissiùs agebat, ac forte dormiens aspidis morsu manum appetentis vitâ privatus est, sepultusque in Busiridis præfecturâ prope Diospolim.*

8. Hoc argumentum, vulgò quidem πολυθρύλλητον, à Scaligero jam olim procusum est, & summâ cum fiduciâ (quicquid ex adverso ingruerint Aristeistæ) contra Aristeam allatum fuit à multis doctissimis viris, *viz.* Setho Calvisio, Andræâ Riveto, Simone Episcopio, Gul. Henrico Vorstio, Johanne Weemsio, & aliis. Nemo tamen est (quod sciam) qui responsionibus adversantium obviam ivit, sed omnes illud nudè tantùm in medium projiciunt.

Nos

Nos responsa omnium, quotquot Aristeæ causam susceperunt, æquâ veritatis lance expendemus, & argumentum illud, contra impugnantium machinamenta, quàm poterimus firmissimo munimento stabiliemus. Et primò retundemus illorum tela, qui Hermippi authoritatem infirmare, & fidem illi auferre studuerunt. Quis, qualis, cujus sæculi fuerit Hermippus, inquiremus. Deinde occurremus illorum effugiis, qui ejus authoritatem non infringere, sed evitare atque amoliri connituntur.

## CAP. IV.

*Diluuntur Responsiones* Serarii, Gretseri, *rev.* Ussherii, &c. §. 1, 2, 3. *Asseritur* Hermippi *authoritas; qui quo numero, quâ existimatione habitus fuit, & quo tempore vixit, ostenditur.* Gerardi Vossii *error.*

(q) *Prolegom. Bibliacis c. 17. Quæst. 5.*

NIcolaus Serarius (q) argumentum illud *perlevem ratiunculam* vocat. *Ab omni*, inquit, *abhorret ratione, ut autor*

*autor, unus isque Gentilis, & vix notus, tot ac tantis veteribus ac notis, Christianis & Judaïs, anteponatur.* Eodem cum fastidio Hermippum præterit (r) Jac. Gretserus: *His tamen universis præponitur à Novatore* (Scaligero) *unus, isque ignotus & Ethnicus; & rerum Judaïcarum ignarus Hermippus. Quâ mente, nisi novandi & contradicendi libidine? Quis non magis credat vel uni Aristeæ, qui interfuit, quàm huic tenebricoso Hermippo?*

(r) *Defens.* Bellarmini *l.* 2. *c.* 6. *p.* 490. *Ita* Ger. Vossius *de Hist. Græc. l.* 1. *c.* 12. *p.* 59. Jac. Salianus *Annal. ad an. M* 3775. *p* 364. Jac. Usserius *de LXX. Interp. c.* 1. *p.* 2. Brianus Waltonus *Proleg. in Polyglot.* 9. *c.* 4. *alique*, Josephi, *Christianorumque* Patrum *authoritate adversùs* Hermippum *utuntur.*

2. Permagna quidem est illorum confidentia, sed debiliter & ex vano assultus fiunt. Quod enim ad consensum antiquorum attinet; Christiani Judæique veteres, quotquot sibi consentientes Aristeas habet, ab unius Aristeæ libro arcessunt omnia: Unde constat illorum omnium testimonia, nihilo plus roboris adjicere rei, quàm si nobis unus supereſſet testis Aristeas. Certissima enim est Regula, *Subordinatos testes esse nullos testes.* Sic omnes ferè antiquorum ad Aristeam reduci debere, ideóque authoritate parum valere, fatetur quidam Aristeanæ fabulæ propugnator. (s) Rev. Waltonus agnoscit Aristeam hujusce historiæ *fontem* fuisse, unde ad posteros defluxit

(s) *Prolego m.* 9. *c.* 1.

Patres. Et Serarius ipſe diſertim aſſerit *citatos antea autores*, nempe quos adduxerat plurimos (t), *ex Ariſteâ* rem illam *referre*. Celeberrimus (u) Uſſerius, cum aliis, mirari videtur, ſi Auguſtinus, Hieronymus, Cyrillus, Epiphanius, Tertullianus, tanti viri, potuerint decipi. Atqui magis miror illorum conſenſum à doctiſſimo Antiſtite in argumentum ſumi; qui ipſe diſceptans contra vulgatam de LXX. *Cellulis* opinionem, quam Juſtinus Martyr ex Judæorum narratione imbiberat, & à Juſtino acceperant recentiores Patres, contra illorum opinionem reſpondet, Juſtinum quidem ſummâ facilitate à Judæis potuiſſe eludi in re, quam ipſe non ſibi modò, ſed omnibus hominibus perſuaſiſſimam planè eſſe cuperet; & eâdem facilitate ob illam cauſam opinionem à Juſtino edoctam amplexos eſſe poſteros. Idem nos dicimus de totâ LXX. Interpretum Hiſtoriâ; S. Patres, qui Ariſteam præeuntem habuerunt, ob eandem cauſam, eâdemque facilitate, ab Impoſtore illo in fidem totius fabulæ pertractos & deceptos fuiſſe. Sane vel renitentium fidem cogere potuit illa Hiſtoria, quæ tot & tanta argumenta Chriſtianis adverſùs Ethnicos ſimul

(t) *Quæſtiuncula prima.*
(u) *De LXX. Interp. c. 1. p. 2.*

ſimul & Judæos ſuppeditavit; nimirum contra Ethnicos, quòd in eâ prædicetur, ipſum Ptolemæum Regem, alioſque Gentiles, S. Scripturam tantâ veneratione proſecutos fuiſſe: contra Judæos illos, qui ſolebant Scripturas adulteratas Chriſtianis objicere, & Græcarum authoritatem minimi putare; quòd in illâ hiſtoriâ, Interpretatio proditur adornata per authoritatem ipſius Judæorum Pontificis Maximi, ſupremique Concilii, & operâ LXX. Seniorum, Scripturarum ſcientiâ ſingulariter inſtructorum: & traditur inſuper, quòd Verſio, perfecta & publicè lecta, concordibus omnium ſuffragiis laudata & approbata fuerit; quòd diris præterea & imprecationibus devotus, qui quicquam addere, vel ſubtrahere, auſus foret.

3. Futile verò illud & puerile planè eſt, quod de *Hermippi* Gentiliſmo Jeſuitæ obganniunt; quaſi verò Ethnici nullam veri rationem habuerint! quaſi Judæi ſoli & Chriſtiani Hiſtorici fidem noſtram mereantur! Edoceri porrò velim cujas ille debuit eſſe, qui de negotiis Ethnicorum hiſtoricis ſcriberet. Quomodo meliùs quàm per Græcum Authorem, ad nos pervenire

potuit ſcientia rerum ad Ptolemæum Demetriumque, Græcos, attinentium? Ridiculè Gretſerus objicit, Hermippum rerum Judaïcarum fuiſſe ignarum: quod, quia petit, do illi & concedo. At quid inde? Anne quiſquam gentium dubitare poteſt, Hermippum propriam adornâſſe Spartam, quando ſcriberet de Demetrii Phalerei rebus? Hiſtoriam rerum Ægyptiacarum, vitam & mortem Demetrii Phalerei, inſtitutionem & præfecturam bibliothecæ Alexandrinæ, quis illa in numero rerum Judaïcarum vel inter ſomniandum reponat? Sed inſtat atque urget Gretſerus, magis credendum eſſe Ariſteam, *utpote qui* rebus ipſis *interfuit*. Pulcherrima ſanè *Principii Petitio*! quaſi in eo non ſit omnis hæc quæſtio, utrùm *interfuerit* Ariſteas iſte, necne? Quî natales ſuos probabit Ariſteas? per quem Notorem evincet, quòd Philadelphi in aulâ floruit? Ut verbo dicam; Scriptorem iſtum Verſionis negotio *interfuiſſe* comprobetur, & in æternum nobis ſilendum erit.

4. Nihilo plus efficiunt altero argumento, ab *Hermippi* obſcuritate deprompto. Illum appellant *vix notum* Serarius, & *tenebricoſum* Gretſerus, non per-

perpendentes, neminem mortalium in lucem unquam prodiisse, qui Aristeâ minùs notus vel magis tenebricosus fuerit. Cujus quidem Historiæ, Gentilium nemo unus unquam meminit: qui an ater (quod dici solet) an albus esset, nemo, nisi ab ipsius relatu, didicisset. Et si inquiramus quamobrem, tanto cum fastidio, obscuritatem *Hermippo* Serarius & Gretserus exprobrârint: comperiemus id illos iniquè & nullâ aliâ de causâ feciſſe, quàm quòd Scriptorem præclarissimum sua sibi inscitia reddidisset ignotum. Serarius ex Suidâ notat duos fuisse *Hermippos*, alterum *Atheniensem*, Poetam Comicum; alterum *Berytium*, Historicum, Philonis Byblii discipulum, qui, imperium agente Adriano, scriptis inclaruit: *Comici* fidem nullo putat numero, utpote viri contra Aristeam non nominandi; *Historici* authoritatem parvi facit, tanquam antiquitate non satis firmatam; qui tamen (me judice) in æquo saltem Aristeæ staret, & ipsius testimonio si fretus fuissem, facile sustinuissem cum Aristeistis manus conserere. Sed verò Serarii aliorumque omnium bonâ veniâ, alius ab utroque, & antiquior, & clarior, fuit *Hermippus* noster, civitate

fuit

fuit *Smyrnæus*, ſtudio *Hiſtoricus*, homo celebri famâ & multo nomine multâque antiquitate. Iſ. (x) Caſaubonus, & (ſi benè meminerim) (y) Menagius, doctiſſimi viri, *Theophraſto*, qui ipſe Demetrio Phalereo coævus fuit, *æqualem* illum conſtituunt, quorum quidem in ſententiam fateor me non tranſire; *Hermippum* enim Theophraſti ætate non vixiſſe, aut ſaltem tam paucos ætatis annos, illo moriente, egiſſe, ut notum illum vix habuerit, id pro argumento eſt, quòd, cùm ſcribat illum in ſenectute ſolitum fuiſſe lectica ferri, Arceſilaum Pitanæum allegat authorem: ut docet Phavorinus apud Laertium. Palam tamen eſt *Hermippum* floruiſſe inſequentibus ſtatim annis, exeunte ſcil. Philadelphi regno: & illum ad tempora Ptolemæi Euergetis, filii Philadelphi, refert Ger. (z) Voſſius: argumento, quòd inter tot præclaros viros, quorum vitas poſteritati tradidit, nullum (quantum cognoſcitur) deſcripſerit eorum, qui poſt Theophraſtum claruerunt. Accedit, quòd Callimachi Poetæ, cujus nomen præclarum erat regnante Philadelpho, diſcipulus fuerit; hinc Καλλιμάχειος ab Athenæo dictus.

(x) *Præfat. ad* Theophraſti *Charact.*

(y) *Ad* Diog. Laertii *vitam* Theophraſti.

(z) *De Hiſt. Græc. l.* 1. *c.* 16.

5. Quod ad *Hermippi Smyrnæi* dignitatem

tatem fidemque ſpectat; teſtis eſt locupletiſſimus, certiſſimuſque, & omni exceptione major: vitarum enim & hiſtoriarum clarorum virorum literatè penitus fuit, & volumen *Vitarum* ipſe compoſuit, cui titulus βίοι; in quo, inter alios multos Philoſophos, Demetrii Phalerei vitam adornavit. (a) Joſephus ipſe illum, inter multos qui Pythagoræ res geſtas in monumentis ſuis dederunt famæ, *inſigniorem* fuiſſe perhibet, & illum vocat *virum circa omnem hiſtoriam diligentiſſimum indagatorem*; *Smyrnæum* enim Joſephus denotat; non *Berytium*, ut Serarius ſummo in delirio cogitavit.

(a) *l. 1. cont. Ap. p. 1046.*

6. Gerardus (b) Voſſius, ſuprà laudatus, quamvis *Smyrnæum* hunc calleret, de *Berytio* tamen D. Laertii locum hunc, de quo jam diſputatur, exponit: Quo nomine manifeſtus eſt erroris, cùm (ipſo fatente) liqueat *Smyrnæum* ſexcenties alibi à Laertio teſtem adhiberi, & advocari ἐν τῷ βίῳ in Thaletis & Anaxagoræ Vitis. Quod quidem in cauſâ fuit, quòd in illo, quem protulimus, loco ſimpliciter nominetur *Hermippus*: voluit enim Laertius de eodem ſe intelligi, quem toties allegârat. *Berytium Hermippum* Laertius (quantum ob-

(b) *De Hiſt. Græ. l. 1. c. 12. p. 59.*

obſervaverim) nuſquam omnino profert; quapropter ineptiſſimum fuerit locum hunc de *Berytio* intelligere, nō de *Smyrnæo*, quem conſtat frequentiſſimè citari. Neque dubium quidem, quin Laertius, ſi alium hoc in loco ſignificâſſet, quàm illum quem tam crebrò laudat, ignotum illum per cognomē diſtinxiſſet. Sed quid conamur inferre lumen in clariſſimum ſolem? Suffecerit annotâſſe hunc locum adeò nihil habere dubii, ut liberè fateatur Iſaacus, (c) eruditiſſimus Gerardi filius, *Hermippum* hìc deſignari *Smyrnæum, qui Euergetæ Ptolemæi temporibus Philoſophicam tradidit hiſtoriam*; qui tamen, acerrimus Ariſteanæ hiſtoriæ vindex, ſi vel minima fuiſſet dubitandi cauſa, illam avidè arripuiſſet.

(c) *De LXX. Interp. c. 2.*

7. Contra Serarium & Gretſerum de *Hermippo* ſatis dictum habeo, quem oſtendi ipſi Demetrio Phalereo fuiſſe tantùm non coætaneum; nempe proximâ poſt ætate celebratū fuiſſe, & à totâ poſteritate ſummo in honore habitum; atq; ideo authoritate tam gravem eſſe, ut nemo poſſit ultrà.

CAP.

## CAP. V.

Vindicatur *Hermippus* à reprehensionibus Reverendiſ. *D. Iſaaci Voſſii.* *Verum eſſe, quod* Hermippus *ſcribit*, Demetrium Phal. *poſt* Caſſandri *mortem* Antigoni *metu in* Ægyptum *ſe contuliſſe.* Demetrium Phal. Athenarum *principem à* Caſſandro *fuiſſe conſtitutum. Illum ſponte non reſtituiſſe* Athenienſes *in libertatem; ſed à* Demetrio Poliorcete *expulſum fuiſſe.* §. 3. Hermippi *narrata* Strabonis *teſtimonio confirmari.* 4. Diodorum Sic. Hermippo *non refragari.* 5. Antigonum *ab* Hermippo *denotari, non* Magnum, Demetrii Poliorcetis *patrem, ſed* Caſſandri *filium.* 8.

QUamvis Hermippo, propter antiquitatem & gravitatem ejus, reverentiam tantam habeat clariſ. D. Iſ. Voſſius, ut concordiam inter illum & Ariſteam conſtituere conari conſultius putet, quàm illius teſtimonium rejicere vel parvi pendere: eò tamen

 angusti-

anguſtiarum illius relatu ſe redactum percipit, ut quò infirmetur quantum, poſſit, illius authoritas, monet (d) duplicem errorem ab illo in loco ſuprà citato committi. Criminatur illum primò (Joh. Baptiſtâ Ricciolio (e) ſuffragante) quòd memoriæ prodiderit Demetrium Phalereum poſt mortem Caſſandri Ægyptum petiiſſe; quod falſum eſſe ut obtineat, affirmat Diodorum Siculum teſtem eſſe locupletiſſimum, Demetrium Phal. octennio ante annum II^dum Olympiadis viceſimæ ſupra centeſimam, quo Caſſander diem ſupremum obiit, ad Ptolemæum in Ægyptum conceſſiſſe, nempe anno II. Olymp. CXVIII^æ; & dicit ab ipſo hiſtoriæ ordine evinci verum illud eſſe. Secundò objicit illi, quòd Phalereum hunc Demetrium ſcribat in Ægyptum confugiſſe præ metu Antigoni, cùm Antigonum (ut inquit) ante Caſſandrum ſpiritum reddidiſſe conſtet.

(d) *De LXX. c. 2. p. 6.*

(e) *Chronologiæ Reformatæ to. 1. p. 141.*

2. Dum Criticiſmo hoc ſibi conſulit venerandus Vir, ipſe ſe humanitùs pati manifeſtò demonſtrat; tot enim errores committit ipſe, (quod dico non ſine juſtâ tanti viri reverentiâ) quot Hermippo exprobrat. Primum quòd attinet, ſi error ſit, Demetrium Phal.

Phal. non niſi poſt Caſſandri obitum in Ægyptum iter contuliſſe; eo certè rationis robore honeſtatur, ut maluerim cum Hermippo hac in re errare, quàm cum Diodoro (ſi verum eſſet Hermippo illum refragari, quod tamen diffiteor) rectâ ſemitâ contendere. Etenim mirum nimis eſt, ſi Demetrius Phalereus, qui ab amico ſuo Caſſandro Athenarum principatu donatus fuerat, ad Ptolemæum, & non ad Caſſandrum, ſe reciperet, quando è patriâ & regimine ſuo, Caſſandri cauſâ, excuſſus fuerit. Cur tam longum iter ad Ptolemæum? Cur ultra maria? cùm in Græciâ adhuc ſupereſſet Caſſander, quem habuit amantiſſimum ſui, & qui ipſum Civitatis præſidem conſtituerat. Nullus dubito, quin Demetrius, cùm primùm Athenas exul relinqueret, ad Caſſandrum, tanquam ad Aſylum, confugerit; &, Caſſandro ex vitâ diſcedente, demùm ad Ptolemæum ſe Regem contulerit. Id quod Hermippus videtur in animo habuiſſe.

3. Demetrium autem Phalereum Caſſandri favore ad gubernacula reip. Athenienſis evectum fuiſſe, (f) Strabo, (g) Pauſanias, Anonymus Author (h) Anagraphes, Olympiadum, &, qui inſtar

(f) *Geogr. L. 9. p. 274.* (g) *Atticis p. 23.* (h) *Ad an. 3. Ol. 115. & an. 2. Ol. 118.*

ſtar omnium eſt, (i) Diodorus Siculus, diſertim aſſerunt, & è multis aliis confirmari poſſit. Nec reponi queat reſponſum, Demetrium Phalereum civitatem Demetrio Poliorceti ſponte tradidiſſe, & propterea ſe non recepiſſe ad Caſſandrum, quippe qui eo nomine animum habuerit ab ipſo alienum. Quod enim Hieronymus ſcribit in Verſione Euſebiani (k) Chronici, *Demetrium Phalereum ad Ptolemæum venientem, impetrâſſe, ut Athenienſibus Democratia redderetur*; manifeſto errore dicitur, ut Scaligero jam olim obſervatum. In Ægyptum enim profugus conceſſit Demetrius, poſtquam patriæ populare regimen jam redditum fuerat. Et quod in Græco Euſebii codice traditur, *illum Democratiam Athenienſibus reddidiſſe*, non intelligendum eſt, quaſi ſponte id fecerit: coactum enim conpulſumque illum fuiſſe, ſatis oſtendit inveteratum iſtud odium, quo contra fugientem bacchati (l) ſunt cives, abrogantes leges quas tulerat, judicio capitis abſentem damnantes, in trecentas & ſexaginta illas æneas ſtatuas, quas paulò antè in honorem illi dedicaverant, virus evomentes; alias lacerantes, conflantes alias, idque etiam (ut aliqui

(i) *Lege l.* 18. *p.* 637. *& ad calcem.*

(k) *Ad num. MDCCIX. & an.* 1. *Ol.* 118.

(l) D. Laertius *in Vitâ ejus.* Strabo *loc. cit.* Plin. *Nat. Hiſt. l.* 34. *c.* 6. Philochorus *ap.* Anag. Olymp. *ad an.* 2. *Ol.* 118. *&* D. Halicarn. *in* Dinarcho *to.* 2. *p.* 113.

qui ſcripſerunt) in matulas; omnes ad unam, quæ in arce poſtea ſervabatur, deturbantes. Et licèt perhibeatur illum ad Polioretem, Athenas cum claſſe appellentem, miſſum fuiſſe, & de libertate Athenienſibus reſtituendâ apud illum *diſſeruiſſe*; non tamen ille fuit, qui libertatem illis impetravit. Poliorcetes enim antea, cùm primùm Pyreæum appulerit, *per præconem pronunciârat ad liberandas ſe Athenas, præſidiumque* (Phalerei) *ejiciendum acceſſiſſe*: ſicut author eſt (m) Plutarchus. Unde fuit, quòd Phalereus, tyrannidem ſuam contra tantam potentiam retineri poſſe deſperans, ad Poliorcetem exièrit, profeſſus ſuo ſe principatu ceſſurum, dummodò liceret civibus ſuis libertate abſolutâ frui. Ita habet Plutarchus: *Phalerei conſiliarii* (ſive *ſatellites*) *omnes recipiendum cenſebant potentiorem.* Et addit illum *magis cives ſuos quàm hoſtes metuiſſe*, & igitur *diſſeruiſſe apud Poliorcetem de ſuâ incolumitate*, & comitatum, qui ſibi à populi furore præſidio eſſet, ab eo obtinuiſſe. Idem prodit (n) Diodorus Siculus, qui dicit etiam, *illum, Athenas, retineri poſſe deſperantem, fugâ ſe recepiſſe.* Huc licet addas (o) Suidam, & (p) Pauſaniam, qui affirmat

(m) *Vitâ* Demetrii Poliorcetis.

(n) *L.* 20. *p.* 756.

(o) Vocibus Δημήτριος Φαληρεύς: & Δημήτριος ὁ Ἀθηναῖος.

(p) Atticis *p.* 23.

*Deme-*

*Demetrium Poliorcetem, Phalereum ex tyrannide ejecisse*: & subjungit, Cassandrum postea, pro acerbissimo, quo in Athenienses laborabat odio Lacchari cuidam, qui ad illud usque tempus principem in plebe locum tenuerat, persuasisse, ut tyrannidem invaderet. Qui etiam à Poliorcete excussus fuit.

4. Ad hanc rationem, ex quâ intelligitur probabile omnino esse Demetrium Phalereum in Ægyptum non concessisse antequàm Cassander naturæ satisfecerit, adjici potest, Hermippi authoritatem Strabonis suffragio gravissimo confirmari: qui Phalereum non nisi post Cassandri obitum in Ægypto Asylum quæsivisse, totidem verbis (q) asseverat. Ὁ φθόνος ἔχυσε καὶ ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια, ὥστε μετὰ τὴν Κασσάνδρου τελευτὴν ἠναγκάσθη φυγεῖν εἰς Αἴγυπτον. *Verùm invidia & Oligarchiæ odium in tantum valuerunt, ut Cassandro mortuo,* Demetrius Phalereus *fugere in Ægyptum sit coactus.*

(q) *Geogr. l. 9. p. mihi 274.*

5. Undè perspicuè liquet rev. Vossium, qui hoc nomine crimen in Hermippum intendit, in errore magno versari. Quibus insuper addo, maximum Virum argumentum habere nullum, quod huic veritati vel minimò refra-

refragetur. Diodorus enim Siculus, ad quem nos vocat, non dicit Demetrium Phal. Alexandriam abivisse eodem anno quo de dominatu suo deturbatus fuerit; verùm, enarrato, ad annum II. Ol. CXVIII æ, ut tyrannide suâ per Poliorcetem Phalereus exueretur, hoc solum subjicit, illum Athenis expulsum, *fugisse Thebas, & demum in Ægyptum ad Ptolemæum*: ἔρυγεν εἰς Θήβας ὕστερον δὲ πρὸς Πτολεμαῖον εἰς Αἴγυπτον. Eadem habet *Anagraphe Olympiadum*. Ex quibus tantum abest ut colligendum sit illum in Ægyptum Athenis statim se corripuisse, ut constet illum, cùm Athenis discesserit, constitutum sibi non habuisse iter in Ægyptum facere; per Thebas enim ab Athenis non fuit in Ægyptum via, sed fuit prorsus adversa & contraria, quâ Thebas itum est. Et quod dicitur illum ptimùm Thebas, & *postea* (vel *demum*) Alexandriam abivisse, id videtur totum à nobis esse, & indicare, illum exilii sui tempus partim Thebis (sub patrocinio Cassandri,) partim Alexandriâ traduxisse. De profectione autem ejus in Ægyptum in eodem loco, quode expulsione ipsius & ad Thebas fugâ memoratur, mentionem Diodorus fecit, ut lectori satisfaceret quasi anxiè per-

percontaturo, quid de illo tanto viro poſtremò factum fuerit, quòque terrarum noviſſimò is tetenderit? * Plutarchus, ubi de expulſo agit, de peregrinatione ejus in Ægyptum non commemorat, ſed tantùm dicit, Poliorcetem, virtutem ejus admiratione proſecutum, *juſſiſſe illum Thebas, utì petebat, adhibito præſidio, deduci.* Non eſt cur addam aliquid de *hiſtoriæ ordine*, quem contra Hermippum objicit Vir doctiſſimus; ſiquidem ex dictis evidenter apparet, hinc illum (& ante illum, Euſebium) deceptum fuiſſe, quòd putaverit Demetrium Phal. quando in exilium ageretur, Athenis Alexandriam verſùs iter egiſſe in rectum: qui certè multos annos, à relictis aris fociſque patriis, Caſſandri ſub auſpiciis egit, antequam ſe in Ægyptum abdidit.

* *Vitâ* Demetrii Poliorc.

6. Ad alterum jam errorem deventum eſt, cujus Hermippum Vir doctiſ. inſimulat, ſcil. quòd ſcribat Phalereum hunc Demetrium poſt obitum Caſſandri in Ægyptum profectum eſſe *metu Antigoni*: qui, (ut inquit Cl. V.) triennio ante Caſſandrum diem extremum morte confecit, atteſtantibus id non Diodoro tantùm, ſed & communi Hiſtoricorum conſenſu. Quæ ob-

objectio nihilo fæliciùs succedit eruditissimo Viro, cujus sanè hic error est, non Hermippi. Ab Hermippo enim non designatur Antigonus Magnus, Demetrii Poliorcetis Pater, cui fatemur Cassandrum triennio supervixisse, sed Cassandri filius quidam, qui quamvis *Antipater* (r) vulgò solet nominari, *Antigoni* tamen appellatione ab aliis insignitur. In Canone Eusebiano legitur: Μακεδόνων ἐβασίλευσαν, καὶ Ἀντίγονος καὶ Ἀλέξανδρος Κασσάνδρου υἱοὶ ἔτη δ. In Latino S. Hieronymi, *Macedonum vicesimus septimus (rex) Antigonus & Alexander Cassandri filii*: Chronicorum primo (s) libro secundùm Græca, quæ plurima spuria sunt, idem audit *Antipater*: Μακεδόνων ἐβασίλευσαν καὶ πρῶτος παῖδες Κασσάνδρου, Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος καὶ Ἀντίπατρος ἔτη γ. Sed & primus liber Latinè ab Hieronymo versus cum Canone exactè convenit: (t) *Macedonicis regnavit 27. Antigonus & Alexander an. 4.* Huc accedunt Græca Excerpta, quæ Eusebiano Chronico Scaliger attexuit, apud quæ in (u) serie Regum Macedonum recensentur *Philippus Aridæus*, *Cassander*, *Antigonus*, *Demetrius*, & sic deinceps. Jamverò quid causæ fuerit

(r) Dexippus *ap.* Euseb. Chron. *l.* 1. *p.* 48. *edit. post.* Porphyrius *ibid. p.* 6. Georgius Syncellus Chron. p. 255. Plutarchus *in* Pyrrho *p.* 386. Pausanias *in* Bœoticis *p.* 287. Justinus *Hist. l.* 16. *c.* 1. 2. Numismus *apud* Hub. Golzii *Thesaurum.*

(s) *p.* 64. *vel* 50. *juxta edit.* 1.

(t) *p.* 33.

(u) *edit p* 368. *vel* 372. *juxta edit.* 1.

erit, cur de se ab Antigono hoc metueret; & in Ægyptum se conjiceret Demetrius noster, luculentissimè comparebit, si quod ab Antigono post Cassandri decessum actum fuerit, ob oculos proferamus. Itaque sciendum, quòd post Cassandri filiique ejus natu maximi Philippi continuas mortes, Thessalonice Cassandri vidua, cùm vitam etiam per ubera materna deprecaretur, perempta fuit ab Antigono (cui nomen etiam Antipatro) filio suo. Causa parricidii, quòd in divisione (x) regni inter duos superstites fratres, propensior illa pro Alexandro, natu minore (y,) videbatur. Dexippus, & post eum Georgius Syncellus, scribunt illam molitam fuisse regnum ad Alexandrum transferre; nullum tamen extitisse maternæ fraudis vestigium Justinus perhibet; unde facinus gravius omnibus & atrocius visum esse. Utut erat, ea res duos illos fratres magno bello inter se habuit, & utrique tandem exitio fuit. Jamverò quis non videt quid illud esset, quod ab Antigono timorem fecerit Phalereo nostro. Thessalonicæ procul dubiò partibus is cupiverat, Cassandri & ipsius beneficiorum memor; atque ideo cùm videret

(x) Justinus *Hist.*

(y) *tet.* Plur. & Pausanias *scribunt, non minore, ut* G. Syncellus *habet.*

deret Antigonum eò crudelitatis provectum, ut materno cruore madidus sæviret; sive quòd apud Regem tam ferocem agere non visum fuerit, sive quod de ipso etiam (quod crediderim,) tanquam cum Reginâ criminis consorte, Regi fuerit suspicio, periculo se substraxit opportunâ fugâ in Ægyptum ad Ptolemæum, veterem Cassandri amicum.

8. Sic confirmatur verissimum illud esse, quod prodit Hermippus noster, *Demetrium Phalereum post Cassandri mortem metu Antigoni ad Ptolemæum concessisse.* Et authoritas ejus a reprehensione doctissimi Vossii, aliorumq; omnium, immunis & integra præstatur.

## CAP. VI.

**Aliorum effugia excutiuntur.**

**Hermippum à D. Laertio** *civium testem*, **Demetrium Phalereum** *statim post mortem* **Ptolemæi Lagi** *in exilium* **à Philadelpho** *actum fuisse, & in custodiâ confeciſſe vitæ cursum: contra rev. & claris.* **Ussérium** §. 2. *Quod* **Hermippi** *testimonium aliorum verum suffragiis corroboratur.* §. 3. **Demetrium à Philadelpho** *in gratiam non receptum fuisse, contra* **Serarium & Salianum.** §. 4.

DE Hermippo authoritateq; ejus satis cùm diſſeruimus, supereſt ut eorum reſponſiones diſcutiamus, qui vel Hermippo majorem habentes reverentiam, vel ineptis ſuis adverſùs illum cavillationibus non acquieſcentes, nova machinantur ſtratagemata, & conantur ſuis ſe effugiis ab illius teſtimonii pondere ſubducere.

(z) *De LXX. Interp. c. 1. p. 2.*

§. 2. Jacobus Uſſerius (z) reverendiſſimus Armachanus Antiſtes, decus immortale ſuæ gentis, dicit Laertium de Demetrio quidem relegato narrationem

orem ex Hermippo instituere, sed de illo in custodiâ fatis cedente, Hermippum authorem non citari. *Priorisinquit, hujus narrationis partis de custodito à Philadelpho in eâ regione Demetrio, donec quid de eo fieret decerneretur; Hermippum Authorem profitetur Laertius; non posteriorisi, de eodem, aspidis morsu postmodum extincto.* Observârat illustrissimus Præsul Laertium à narratione rerum ab Hermippo traditarum per modum *Infinitivum* institutâ, ad *Indicativum* revocare orationem, & quasi suâ ex personâ reliqua superaddere. Attamen pace celeberrimi Viri, mirari satis non possum, si arcta ista narrationis atque sensûs catena non ostendat illum, quamvis personam sustinere suam videatur, partem etiam posteriorem eidem Authori acceptam retulisse. De quo profectò scrupulum non injecisset venerandus Præsul, nisi eo loco Hermippum habuisset, ut contrà illum in aciem ire periculosum duceret, & tutius existimaret subterfugio se quocunque subtrahere. Illum latere non potuit, eundem orationis construendæ morem cùm in Græcâ tum in aliis linguis ita obtinuisse, ut nihil magis. Quâ de re si quis animo sit anci-

piti

cipiti, adjiciat oculos in Athenæi libros, &, ne ad alios pervagetur innumeros, adeat Porphyrium Duridem Samium allegantem in exordio vitæ Pythagoræ. Et Diogeni Laertio rationem sermonis illam valdè quàm visitatam esse cognoscet, si placeat legere p. 67. ubi Heraclidis de Menedemo, p. 114. ubi Aristippi de Aristotele, & p. 136. ubi Hermippi nostri de Heraclide testimonium profertur. Ad plura Laertii loca lectorem amandare, non erit a re nostrâ, cùm prorsus nihil absit, quin id quod volumus clarissimè eluceſcat ex positis, in quibus invenitur nihilo major verborum & sensûs cohærentia, quàm in loco nobis controverso; & tamen illa in dubium incertumque neque ipse reverendus Usserius revocare potuisset. Porrò verò si Laertius alium quemvis præter Hermippum designâsset, nemo est quin credat illum expressurum fuisse quem authorem sequeretur, ubi tam spissa & frequens est Scriptorum pro re ferè quâque allegatio. Denique, ut rem paucis complectar, Antagonistas nostros habemus omnes hujusce sententiæ nostræ manifestos, qui unâ voce facilè concedunt adver-

adversùs *Hermippum* sibi militari. Sanè si fingatulus Scriptorem illum non fuisse *Hermippum*, illum tamen rerum ad Demetrium Phalereum pertinentium curiosum admodum & scientissimum fuisse, apertissimè constabit ex enarratione rerum tam speciali, scilicet quo genere mortis excesserit ex vitâ, quâ parte corporis ab aspide infectus fuerit, illum in somnum procidisse quando malum id contingeret, item quo in loco ad sepulturam datus fuerit. Et quantam ipsi dignitatem habuerit D. Laertius, exinde colligitur, quòd descriptum ab illo Demetrii fatum Epigrammate celebrârit.

5. Quinetiam illius fides consonis aliorum testimoniis egregiè suffulcitur (a) Heraclides, in Epitome Sotionis Successionum, testimonium dedit, Demetrium Phal. Ptolemæum Lagi hortatum fuisse ne Philadelpho regno cederet. Et quatû ad Demetrii mortem spectat, de eâ ipsum Ciceronem (b) habemus astipulantem. *Video*, inquit, *Demetrium & ex republicâ Athenis quâ optimè digesserat & ex doctrinâ nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Ægypti regno, aspide ad corpus admotâ, vitâ esse privatum.* Quibus verbis Conspicuum

(a) *Ap.* D. Laert. *vitâ* Demetrii.

(b) *Orat. pro* C. Rabirio Posthumo.

cuum est, Ciceronem respexisse supradictum illud fatale odiũ quo Demetrium Rex prosecutus fuit, & talem necem illi propter Regis iracundiam contigisse. Astipulatur Suidas, nisi quòd occubitum ejus malè conferat ad ipsius Soteris, id est, Ptolemæi Lagi tempora: καὶ παρὰ τῷ Σωτῆρι Πτολεμάῳ διατρίβων, δηχθεὶς ὑπ' ἀσπίδος ἀπέθανε, καὶ ἐτάφη ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ πλησίον τοῦ Διοσπόλεως τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι. Quorum authorum tantâ asseveratione non modò cætera, quæ Hermippus reliquit scripta, satis confirmantur, verum etiam astruitur Demetrium miserrimâ obiisse mortem. Et sanè quòd Demetrius, defuncto jam patrono suo Ptolemæo Lagi, Philadelphi gratiâ exciderit, res est non solum firmissimâ authoritate munita, sed & ipsâ ratione corroborata. Esto enim Philadelphus princeps omnibus suis numeris absolutus, clemens, mansuetus, nobilis porro doctorum virorum fautor & patronus: atqui plusquam humanum esse debuit ille, qui potuit injuriam tantam inultam impunitamque dimittere, & benevolentiâ complecti hominem, qui inimicissimus ipsi fuit, qui totum se contulit ad avertendam ab ipso indulgentiam amantissimi Patris, qui denique, quoad facere potuit,

tuit, Patri ipsius dissuaserat de ipso ad regnum evehendo.

4. Sed dices illum ex amore quidem Regis effluxisse, postea tamen recollegisse amissam benevolentiam, adeoque lapsu temporis Bibliothecæ præfectum fuisse constitutum. (c) Nicolaus Serarius, & post eum (d) Jac. Salianus, cessuros se fluctibus sentientes, stramina quæque arripiunt, & ostendere annituntur Demetrium Phalereum, quamvis verum sit quod superiùs de illo ex Hermippo observatur, potuisse tamen Bibliothecam Philadelpho instruere curaneque, nec contrarium ex Hermippi verbis inferri posse. Dicunt *consequens non esse ut Demetrius statim mori jussus sit, si offenderit Philadelphum, ejusque jussu asservatus fuerit in provinciâ; potuisse ergo intervenisse reconciliationem: potuisse etiam rem illam esse calumniam, eâque purgatâ gratiam redintegrari. Mortem ipsam Demetrio ultrò accersitam non videri; & vel assidem illum dormientem momordisse, vel illum voluntariam mortem aliâ quâpiam interveniente causâ delegisse; vel, si propter offensam Philadelphi mortem sibi consciverit, exinde tamen confici non posse illum in gratiam Regis non rediisse, & apud illum non vixisse*

(c) *Prolegom. Bibl. c. 17. Quæst. 5.*

(d) *Annal. ad an. M. 3775. p. 364.*

*iſſe poſt exilium antequam ſe è vitâ eduxerit. Generoſos enim animos,* inquiunt, *culpa etiam condonata vellicat, & credita aliquandiu calumnia, neſcio quam fumi nigredinem innocentiæ candori afflare ſolet, quo deinceps affligatur.* Utrùm Demetrius admotâ per ſe aſpide fata præceperit; an Regis juſſu, an caſu (quod Hermippus innuit) aſpis admota fuerit, id noſtrâ nihil refert: quantum verò ad illud ſpectat quod de reconciliatione ſcribunt; id longè à veritate abhorrere, ex Hermippi verbis, ſi ad illa reſpexeris, adeò luculentum erit ut nihil ſuprà. Aſſeritur enim ab illo ſine ullâ vel ſenſûs vel verborum obſcuritate, Demetrium, ſimul ac Philadelphus defuncto Patre ſuo ſolus regnare cœperit, in cuſtodiam conjectum fuiſſe, & in illâ poſuiſſe ſpiritum: & ex eo quòd dicitur in Bufirite provinciâ ſepultus jacuiſſe, indicatur illum in eâ regione cuſtoditum fuiſſe & in eâ mortem occubuiſſe. Unde hac luce clariùs apparet illum in Regis Philadelphi Curiam & favorem è cuſtodiâ nunquam rediiſſe. Hermippi authoritatem res ipſa confirmat. Eſt enim veri facilè diſſimile & mirum ſupra id quod credibile, Regem injuriæ tantæ

tantæ memoriam (nugatorium enim eſt quod de *calumniâ* Serarius Salianuſque cauſantur) exturbâſſe ex animo, &, omni metu de lædendâ majeſtate ſuâ excuſſo, ſuos ad amplexus revocâſſe hominem de ſe immerentiſſimum, cujus animum alienatiorem fecerat ſupplicium ſumptum, qui primâ occaſione partes Filiorum Eurydices defenſurus fuit. Quam ſanè veritatem Salianus ipſe perſpectam habuit, qui alibi (*c*) rem in eum locum adduxit, ut fateretur plurimùm id valere contra Ariſteam, ſi verum ſit quòd Demetrius Phalereus cum Ptolemæo Lagi egerit, ut filiis ſibi ex Eurydice genitis impertiret regnum. *Quæ ſi vera ſunt*, inquit, *dubia valdè redditur inſignis illa, quæ vulgò traditur, familiaritas Demetrii Phalerei cum Philadelpho Ptolemæo, à quo nullam videbatur majorem injuriam accipere potuiſſe, quàm ut ejus operâ conſilioque, paterno beneficio, tanto præſertim, privaretur.*

(c) *Annal. ad an. M.* 3769. §. 5.

## *CAP.* VII.

Occurritur reſponſioni Maximorum Gerardi & Iſaaci Voſſiorum, Dionyſiique Petavii. &c. *Cum* Ariſteæ *hiſtoriâ non convenire, inſtitutam fuiſſe* Verſionem Græcam *regnantibus ſimul* Ptolemæo Lagi & Philadelpho. Ariſteam *velle* Verſionem *confectam fuiſſe, non modò poſt mortem* Ptolemæi Lagi, *verùm etiam vergente ad exitum* Philadelphi *regno, fuſe demonſtratur.* Philadelphus *adoleſcentulus fuit, & matrimonium nondùm inierat, cùm regnum inciperet.* §. 6. &c. *Sororem ſuam non duxit uxorem, niſi annis aliquot poſt initium regni.* §. 10. Ptolemais Syriæ *urbs à quo* Ptolemæorum *condita: Si à* Ptolemæo Lagi, *quòd* Heylinus *tradit, vel à* Ptol. Philometore, *quod* Fullero *placet; argumentum exinde peti poſſe contra* Ariſteam. Syriaca Verſio *notata.* 12. Philadelphum *Bibliothecam* Alexandrinam *non inſtituiſſe, ſeu potius animum ſuum ad illam*

*illam tamâ librorum copiâ augendam non applicuisse, nisi postquam multos annos in regno emensus fuerat.* Flavium Josephum *videri Græcam Versionem conferre ad annum* Philadelphi *ultimum.* 20.

ERuditissimi Vossii, (f) Gerardus, & post eum (g) Isaacus, parentis maximi non minor filius, Hermippi Aristeæque discordiam adimere ratione Chronologicâ connituntur. Dicunt Scripturam ex Hebraico sermone Græcè expressam fuisse quo tempore unà cum Patre suo regnaret Philadelphus; adeò ut sub Philadelpho, curante tamen Demetrio Phalereo, absolvi potuerit Versionis opus. Quam responsionem dederunt quoque Dionysius (h) Petavius & (i) Joh. Baptista Ricciolius; & in eâ, magnâ cum securitate, acquiescunt docti hujus ævi plerùmque omnes.

(f) *De Hist. Græcis l. 1. c. 12.*
(g) *De LXX. Interp. c. 2.*
(h) *Animadvers. in* Epiphan. *de Mens. & Pond. p. 378.*
(i) *Chronol. Reformata to. 1. p. 141.*

2. Cui obviam ut eatur, nihil nobis impræsentiarum erit cum quæstione illâ, An regnante simul utroque Ptolemæo S. Scripturæ Græco conderentur eloquio? de quâ disserimus in Capite secundo secundi libri. Abundè erit demonstrâsse Aristeam non in eo fuisse, ut

ut crederet Interpretationem eo temporis intervallo confectam; verùm illum ad tempora inferiora eam conjicere; unde luculentum fuerit nullam concordiam poſſe inſtaurari inter Hermippi Ariſteæq; Scripta; falliq; vehementer cum cæteris doctiſſimos Voſſios, qui difficultatem eo modo tolli arbitrantur. Atque hoc ad aſtruendum, plurimis armati argumentis, intrepidè procedemus.

3. Si quis Ariſteæ exemplar, quo uſus eſt Epiphanius, admittendum cenſeat, habet is in promptu unde quòd in diſquiſitione poſitum eſt luculentò demonſtrari queat. Etenim in Epiſtolâ Regis Philadelphi ad Eleazarum Pontificem in hanc ſententiam ſcribitur: *Quòd amoris gratiâ erga vos hanc petitionem faciam, ex noſtrâ erga vos benevolentiâ, ſi in memoriam revocaveritis, ſcietis. Meminiſtis ſanè, quòd captivos multos ex patriâ veſtrâ abductos, & in Ægyptum noſtram patriam perductos, dimiſi* &c. Ubi dictiones iſtæ, *ſi in memoriam revocaveritis*, &, *meminiſtis*, clariſſimè docent captivos Judæos pileo donatos fuiſſe longo (k) antè tempore quàm accerſerentur ſacroſancta volumina; cùm

(k) *Sciendum enim in codice* Epiphaniano *ſtatui* Philadelphum *ex propriâ clementiâ, non gratiâ obtinendæ Judæorum Legis, juſſiſſe captivos Judæos eſſe liberos.*

cùm tamen Philadelphus uno (1) anno vel altero, non eo plus, ante excessum Patris sui, in socium regni ascitus fuerit.

(1) *Vide* Syntag. de Ptol. c. 10. & 11.

4. Si genuinos Aristeæ codices evolvamus, nihil priùs comparebit, nihil manifestiùs. De Ptolemæo enim Patre (ut aliis plerisque, brevitatis studio, supersedeam) nulla prorsus habetur mentio quâ videri possit superstes tunc temporis fuisse. Omnia ad Filium referuntur; omnia Filium penes fuisse innuitur. Leges & institutiones, easque paternas, abdicare dicitur, assensu Patris nullo, nullâ comprobatione memoratâ. Quid, quòd Aristeas memoriæ tradit Andræam, Sosibium, seq; ipsum ad consilia illa Regis Philadelphi admistos fuisse? quocirca absurdum planè fuerit putare illum, ut taceret de Ptolemæo Patre qui regni fuit particeps, ullâ aliâ de causâ inductum fuisse, nisi quòd crediderit ipsum eo tempore in vivis non fuisse.

5. Epistolæ Eleazari Judæorum Pontificis ad Philadelphum Regem exordium sic concipitur: Αυτός τε ἔρρωσο (vel ut rectiùs apud Eusebium legitur, Εἰ αὐτός τε ἔρρωσαι) καὶ ἡ βασίλισσα Αρσινόη ἡ ἀδελφή, καὶ τὰ τέκνα, καλῶς ἂν

ἂν ἔχοι, καὶ ὡς βουλόμεθα, καὶ αὐτοὶ δὲ ὑγιαίνομεν. *Si vales ipse & Regina Arsinoe soror tua, & liberi, benè est, & ut volumus, nos etiam valemus.* Unde multa argumenta desumi possunt. Primò enim observare licet quòd, uxore & liberis Philadelphi salute impertitis, nulla salusdicitur regiis ejus Parentibus; quod argumento est firmissimo illos jamdudum desiisse vivere. Consentaneum est quod unus Interpretum dixisse perhibetur, cùm in convivio ad mensam consecrandam vota fecerit. *Rex, impleat te Deus omnipotens omnibus illis bonis, quæ creavit: detq; & efficiat, ut ea tu, uxor, liberi, & amici habeatis per omne vitæ tempus affluentia & firma.*

6. Deinde in illis locis celebrantur Philadelphi *Regina* & *liberi*, quod omnino evincit regnatum jam fuisse aliquanto tempore post obitum Ptolemæi Lagi. Philadelphus enim, ubi regnum primò adiret, in virum nondum transierat, sed adolescens admodum fuit, *& porro puer*; ut Authorum valde bonorum testimoniis comprobari potest. Justinus (m) de illo jam regnante commemorans, illum appellat *juvenem*. Herodianus (n) affirmat illum

(m) *Hist. l.* 16. *c.* 6.

(n) *l.* 1. § 6.

lum ἐν νεότητι βασιλείαν παραλαβεῖν, *in adoleſcentiâ principatum ſuſcepiſſe*, & præ immaturâ ætate mores tam malos didiciſſe, ut tandem ſororiis amoribus implicaretur. Ptolemæum enim *Philadelphum* noſtrum ab Herodiano deſignari conſtat; quem quidem ſororem ſuam in matrimonio habuiſſe, apud Authores alios obſervatur plurimos. Aſtipulatur his (o) Porphyrius, de Ptolemæis ex profeſſo agens; qui diſertis verbis aſſerit Philadelphum *puerum* fuiſſe cùm regnum à Patre ſuo reciperet: *Ptolemæus Soter* (inquit) vivens regnum ſuum tradidit τῷ υἱῷ Πτολεμαίῳ, τῷ παιδὶ τὴν ἀρχὴν διαδεξαμένῳ, *filio ſuo Ptolemæo, qui dum puer eſſet regnum ſuſcepit.* Quibus omnibus, etſi nullâ confirmatione opus ſit, addemus Ptolemæum Ceraunum, Macedoniæ regem, quando bellum gereret adverſus Gallos, fuiſſe, ſecundùm (p) Juſtinum, *immaturum juvenem*; & juxta Diodorum (q) Siculum, † τὴν ἡλικίαν

(o) *Fragmento de* Ptolemæis *apud* Euſebii *Chronicorum Græc. l.* 1. *p.* 59. *ſecundùm edit. primam p.* 225.

(p) *l.* 24. *c.* 4.

(q) *Excerptis* Conſtantini Porphyrogenetæ. *p.* 265.

† *Videtur* Ceraunus, *cùm occumberet, natus fuiſſe annos circiter* 28. *&* 22. *cùm* Philadelphus *regnum iniret. Filiam enim habuit, quam* Pyrrho Epirotæ *in ſponſalia tradidit, natam jam (ut videtur) ad annos* 7 *vel fortaſſe* 10. *Cujus ætatis puellulas in matrimonium collocare & accipere, amicitiâ cum certâ aliquâ gente pangendæ gratiâ, à conſuetudine Principum non abhorret. Cujus rei cauſâ Ceraunî Filium in connubium datam & aſſumptam eſſe, docet* Juſtinus *Hiſt. l.* 17. *c.* 2. *&* 1. 24. *c.* 1.

νέον παντελῶς, *ætate admodum juvenem.* Quem tamen liquet fuiſse Philadelphi fratrem natu majorem, & bello Gallis non concurriſſe, niſi poſt quadriennium circiter quàm Ptolemæus Lagi, ipſius & Philadelphi pater, vitâ fungeretur, & circa ſexennium poſtquam Philadelphus Ægypti regno præeſſe cœperit. Obiit enim Ptolemæus Lagi circa finē Olympiadis 123ª, & Ptolemæo Cerauno Galli bellum & necem intulerunt exiturâ Olympiade ſequente, nempe 124ª, vel ineunte 125ª. ſicut in *Syntagmate* (r) noſtro *Hiſtorico-Chronologico de Ptolemæis Ægypti Regibus* demonſtravimus. Euſebius illius regnum conjicit in annum tertium Olympiadis 124., qui tertius fuit ab obitu Ptolemæi Lagi. Plutarchus (ſ) oſtendit (ſed obiter tantùm & aliud agens) Philadelphum in dignitate regiâ *conſenuiſſe*; quod ſatis congruit cum prædictis Authoribus: annos enim 40. præterpropter regnum poſſedit Philadelphus, unde, dato illum antea natum fuiſſe annos 18. vel 20. conſequitur illum 60. circiter annos vitæ cumulâſſe: & ſi dicamus illum annos duntaxat 16. habuiſſe cùm in ſocietatem regni aſſumptus fuerit, quod videtur magis convenire cum Por-

(r) *Cap.* 12. & 16.

(ſ) *l.* 2. *de Fort. Alex. p.* 341.

Porphyrio; posſit tamen dici in regno conſenuiſſe, cùm annos ætatis egerit ſex & quinquaginta.

7. Quamvis nihil fuiſset, unde colligi posſet Philadelphum *puerum* fuiſſe cùm iniret regnum; illum tamen uxorem liberosq; nullos habuiſse quando regnum auſpicaretur multæ circumſtantiæ potuiſsent indicare. Athenæus (t) ſtupendam illam pompam, quam Philadelphus cum patre jam regnans celebravit, graphicè per aliquot paginas ex Callixeno Rhodio deſcribens, tradit *coronis aureis in agone coronatos fuiſſe, Philadelphum ipſum viginti, Ptolemæum primum,* (u) *ejus patrem, etiam viginti; & Berenicem, ejus matrem, viginti tribus, advectis ſuper aureis curribus.* De Reginâ ejus aliquâ nullam mentionem habet, cujus tamen memoriam non dubium eſt quin retuliſſet, ſi ullam tunc Philadelphus habuiſſet, cùm non ſolùm de patre ejus, ſed etiam de matre memorârit: præſertim verò cùm conſtitutum illi fuerit, ut divitiarum in eâ celebritate exhibitarum magnitudinem, & coronarum aurearum numerum lectori proderet. Nam ſi uxorem aliquam eo tempore conſociâſſet ſibi Philadelphus, cogitari nequit,

(t) *L. 5. p. 203.*

(u) *Hoc enim* Athenæus *ſibi voluit, etſi aliter viſum fuerit doctiſ.* Caſaubono.

quin illa etiam, æquè ac mater ejus, coronis donata fuiſſet.

8. Præterea verò, ſi ullam ſibi conjugem adjunxiſſet Philadelphus antequam iniret regnum, dicendum foret illam fuiſſe Lyſimachi, Regis Thraciæ & Macedoniæ, filiam, quæ prima fuit Philadelphi uxor. Jamverò Philadelphum in initio regni cum Lyſimacho affinitate non devinctum fuiſſe, cùm ex eo colligitur, quòd Sotades, homo petulantiſſimæ linguæ, *ſolitus fuerit* (authore (x) Athenæo) *Lyſimachum in Alexandriâ probris inceſſere, apud Lyſimachum verò Ptolemæum Philadelphum, ſicut alios Reges in aliis civitatibus*; quod oſtendit illos minùs amicè inter ſe affectos: tum exinde, quòd Ptolemæus Ceraunus ſupradictus, cùm à ſuo regni patrimonio, Philadelpho rege conſtituto, ſecluſus fuerit, ad Lyſimachum ſe, (ſicut tradunt (y) Memnon & (z) Pauſanias,) fugâ deportârit. Quod profectò non feciſſet, ſi Philadelphus tunc habuiſſet Lyſimachi filiam matrimonio ſibi copulatam. Quomodo enim ſperare potuit Lyſimachum arrepturum patrocinium ſui, qui inveteratus hoſtis Generi Filiæque ipſius fuerit, & in ipſorum capita nihilnon ten-

(x) L. 14. p. 307.

(y) *Excerptis* Photianis *cap.* 13. & 30.

(z) Atticis p. 14.

tentaturus, ut de regno illos deturbaret? Et ſanè cùm Pauſanias ſcribat Ceraunum poſtea, conceptâ offenſione, à Lyſimacho ad hoſtem ejus Seleucum deſciviſſe, (quod contigerit duobus circitèr annis poſt mortem Ptolemæi Lagi, & prope quatuor poſt initium regni Philadelphi,) videretur illum eam ob cauſam à Lyſimacho diſceſſiſſe, quòd eo is tempore (paulò ante mortem ſuam) affinitatem cum Philadelpho, datâ ei in matrimonium filiâ, junxiſſet: quam ob rem diutiùs apud illum commorari periculoſum Ceraunus duxerit.

9. Denique, quòd Philadelphus nullos ſuſcepiſſet liberos, niſi poſt annos aliquot quàm regnum ipſi deferretur, & hinc confirmari poſſit, quòd liberi ejus, quo tempore quadrageſimum regni ſui annum agens obiit, ætate tantùm juvenes fuerint. Atque hoc ex eo fit probabile quòd illorum natu maximus Ptolemæus, (cui poſtea *Euergeti* à benefaciendo nomen factum) in rem uxoriam non ante incubuerit quàm pater ejus extremum diem morte confecerit, vel brevi confecturus fuerit; & quòd Berenice, filia, paucis tantùm annis ante deceſſum illius in matrimonium fuerit collocata. Præter

ter quos, unicus erat filius alter, nomine Lyſimachus, de quò, quod ad nuptias attinet, ex libris nihil cognoſcimus. Berenicen autem virginem Antiocho Theo, Regi Syriæ, in uxorem datam fuiſſe anno Philadelphi ultimo, doctiſſimus (a) Simſonius ſupputat; cujus in ſententiam licèt pedibus vix eundum ſit, eorum tamen nuptias annis pluſquàm triginta poſt ſumptum à Philadelpho regnum celebratas fuiſſe, facilè concedent viri eruditi. (b) Divus Hieronymus enim teſtis eſt illas contigiſſe *multis annis* poſt initium regni Antiochi Thei, ad quem conſtat regnum Syriæ defluxiſſe anno Philadelphi circitèr viceſimo quarto. Quod ad Ptolemæum Euergetem ſpectat; illum uxorem ſuam (Berenicen Magæ, Cyrenarum Regis, filiam) duxiſſe cùm Patri ipſius mors vicina eſſet, vel poſt illius obitum, è Juſtino colligitur; qui in ipſo fine libri viceſimi ſexti de nuptiis ejus agit; & tantùm non ſtatim à principio libri inſequentis, docet illum fuiſſe Ægypti regem. Deinde, Ptolemæum Euergetem, quando bellum contra Seleucum Callinicum moveret, regio titulo claruiſſe, ex eodem Juſtino, (c) Appiano, Sanctoque Hieronymo lucu-

(a) *Chron. Catbol.*

(b) *Comment. in Dan. c.* 11.

(c) *De bellis Syriacis.*

luculenter apparet; atqui illum, cùm bellum illud commiserit, fuisse maritum recentem patet ex (d) Catullo, sive Callimacho (cujus poemation Catullus Latinis versibus expressit,) qui de illo, & reginâ ejus Berenice, sic canit.

(d) *Carmine 7. de* Berenices Comâ.

*Quâ Rex tempestate novo auctus Hymenæo.*
*Vastatum fines iverat Assyrios.*

Per *novum* Hymenæum volens (ut vulgò significat) connubia non ita multò antè inita: de aliâ enim Euergetis conjuge nihil quicquam in authoribus reperitur. Jamvero si quis agitet hæc cum animo, videbitur (nisi longè me fugit veritas) multâ cum probabilitate inferri posse, Philadelphi liberos non modò non ante initium illius regni, verùm etiam multis pòst annis natos fuisse. Quandoquidem non est verisimile tanti Regis filium & hæredem annos ætatis plus triginta transegisse, cùm primùm sibi thalami sociam conscíverit. Et difficile ad fidem est, Berenicen, Philadelphi filiam, in thalamos Antiochi non fuisse deruptam dum primâ adolescentiâ floruerit; quippe quæ Regis tam divitis potentisque nata fuit, & præterea multò formosissima; ut exinde

inde conficitur, quòd Antiochus tanto cum amore illam deperîsse legitur: atque ideò non dubium est quin in ipso ætatis flore à multis Principibus in conjugium ambita fuerit.

10. Abundè sunt hæc de Ptolemæi Philadelphi regnum ineuntis adolescentiâ, & cælibatu, sive ἀτεκνίᾳ. In eodem autem Epistolæ Pontificis loco observare licet, uxorem Regis, quæ ibi salutatur, fuisse ipsius sororem Arsinoen; quam illi matrimoniali fœdere adjunctam fuisse, testatum etiam fecerunt (e) Pausanias, (f) Stephanus Byzantinus, (g) Plinius, (h) Plutarchus, (i) Athenæus, alii. Jamverò Philadelphi Ptolemæi sororem Arsinoen nominatam Lysimacho Regi Thraciæ primò elocatam fuisse, præter Memnonem Historicum, perhibent Justinus, & (k) Pausanias; & eandem post Lysimachi mortem fratri suo Ptolemæo Cerauno, Regi Macedoniæ, denuptam fuisse, testimonium habent luculentum laudati (l) Memnon & (m) Justinus, quorum posterior de negotio nuptiarum istarum fusè scribit. Unde astruitur Philadelphum sororem suam Arsinoen in uxorem sibi non accepisse ante mortem Ptolemæi Cerauni, quæ contigit anno

(e) Atticis p. 7.
(f) *Voce* Ἀρσινόη.
(g) *Nat. Hist. l. 36. cap. 9.*
(h) *De liberis educandis p. 11.*
(i) *L. 14. p. 621.*
(k) Atticis p. 9.
(l) *Excerptis* Photianis c. 15.
(m) *Hist. l. 17. c. 2. & l. 24. c. 2. & 3.*

anno circitèr ſexto ſuſcepti à Philadelpho regni, nempe (ut ſupradictum eſt) exeunte Olympiade CXXIV^a, vel ineunte proximâ. Poſt Cerauni interitum quantum temporis effluxerit antequam Philadelphus Sororem ſuam, illius viduam, in matrimonium duxit, ambiguæ æſtimationis eſt. Cæterùm intercurriſſe ſex ſaltem annorum ſpatium, videtur ex illis, quæ ſuprà diſcuſſimus de ætatibus Liberorum Philadelphi: quorum maximus videtur natus non ante annum regni Patris ſui decimum. Adeò ut probabile ſit Philadelphum annos amplius duodecim regnaviſſe, quando Sororem ſuam in conjugium aſſumpſerit. Conſtat enim Philadelpho Sororem ipſius nullam edidiſſe prolem; verùm illum tres ſuos liberos ex Arſinoe Lyſimachi filiâ ſuſcepiſſe; & hanc pro uxore priùs habuiſſe, quàm Sororem ſuam. Quam in rem teſtimonium ampliſſimum adhibet Theocriti Græcus (n) Enarrator. Non ſum neſcius recentiorum aliquos opinari, Sororem Philadelphi, quæ & uxor fuit, aliam fuiſſe all illâ, quæ Lyſimacho & pòſt Ptolemæo Cerauno nupſit: Quod quidem temerè arbitrantur & nullis freti authoribus antiquis; ſine quorum

(n) *Ad finem Idyllii* 17.

authoritate non exiſtimandum eſt duas ſorores eodem nomine appellatas fuiſſe, cùm res in ſeipſâ non ſit veriſimilis. Neque facit contra nos, quòd Arſinoe Lyſimachi & Ptolemæi Cerauniconjux, quo tempore Ceraunus interiret, filium annorum ſedecim à Lyſimacho genitum habuerit, & ergo minus quàm annos triginta duos nata eſſe non potuerit, & Philadelpho ſex annis ad minimum major fuerit. Nihil enim repugnat, quin Philadelphus, annos jam ſuperans duodecim regni, & ætatis triginta duos, caperetur amore Sororis ſuæ ad annum jam quadrageſimum procedentis. Et ſanè hoc videtur in parte cauſæ fuiſſe, quòd ab illo uterum ea nunquam tulerit, id ſcilicet quòd ætate tam provecta fuerit, cùm illi ſe uxorem dederit. Sed præterea, ſi concedamus (quod tamen non facimus) Sororem Philadelphi, quæ & uxor ejus fuit, non eandem fuiſſe cum Sorore ejus illâ, quæ Lyſimacho & Cerauno deſpondebatur; id tamen eſſet δῦο γυναῖκες ἀδελφαί; quandoquidem conſpicuum nihilominùs fuerit, Philadelphum Sororem ſibi ſuam matrimonii nexu copulâſſe, poſtquam ex Lyſimachi filiâ prædictos procreâſſet liberos. Unde conficeretur Epiſtolam illam Pontificis

tificis Judæorum non fuisse conscriptam, nisi annis aliquot postquam Philadelphus inciperet summa regni gubernacula gerere, Fatendum quidem est, initium Epistolæ illius apud Josephum paulò aliter se habere, quàm apud Aristeam nostrum, & Eusebium; & in hunc modum scribi: Ἐρρωμένον σε, καὶ τῆς Βασιλίσσης Ἀρσινόης, καὶ τῶν τέκνων, καλῶς ἂν ἔχοι πάντα. Adeò ut per *Reginam Arsinoen* denotari *Sororem* Regis non appareat. Si tamen in Epistolam inferiùs descendamus; non minùs ex Josepho, quàm ex nostro codice, & Eusebio, manifestum fiet *Sororem* designari. *Provocati* (inquit Pontifex) *beneficiis in cives nostros collatis, non debemus segnes esse ad referendam gratiam*: ὑπὲρ οὖν υἱοῦ σου, καὶ τῆς ἀδελφῆς σου, καὶ τῶν τέκνων καὶ φίλων προσηγάγομεν θυσίας. *Quamobrem continuò pro te, sororèque tuâ, & liberis, & amicis hostias obtulimus.* In quibus clarum est per, *Sororem*, significari eandem illam quæ in exordio *Regina* dicitur. Aristeas notat Regem Philadelphum *solitum fuisse delatores suppliciis capitalibus, illisque acerbis, prosequi*: quo videtur allusisse ad supplicium Sotadis, in quem, quòd in has Philadelphi cum Sorore nuptias stylum suum

perſtinxerit, adeò ſeverè & vehementer vindicatum eſt, ut in amphoram plumbeam injectus, in altum mare evectus fuerit & demerſus, utì apud (o) Athenæum tradit Hegeſander.

(o) *L.14.p.621.*

11. Contra reſponſionem Voſſianam ſatis multa jam diximus, &, ni fallimur, cumulatè planum fecimus, per Ariſteam mininimè licere, Scripturas in Græcum Sermonem verſas referre in intervallum iſtud temporis, quo unà cum Patre ſuo regnavit Philadelphus. Operi tamen cùm me accinxerim, hanc quam occœpi telam pertexam quàm poſſum firmiſſimò; & Ariſteam S. Scripturæ Verſionem non modò non ad illud tempus conferre, verùm etiam poſt multos regni Philadelphi annos collocare illam, aliis evincam argumentis. Sic enim non ſolùm id, pro quo jam contendimus, confirmabitur, ſed novæ contra Hiſtoriam Ariſteæ objectioni fundamentum jaciemus.

12. Itaque, ut miſſum faciamus illud (quod noviſſimè tetigimus, & quod mihi plurimi eſt) de Sorore Philadelphi multis poſt initium regni ejus cum eo nuptâ; obſervandum occurrit, quod de Ptolemaide Ariſteas prodit. *Urbs* inquit, *Hieroſolyma nullius rei, quæ mari ad-*

*advehitur, indiget, quandò opportuni illi portus propiùs adsunt apud Aſcalonem,* (p) *Joppen, & Gazam, atque item à Ptolemaïde quæ à Rege condita eſt civitas,* (Πτολεμαΐδα τὴν ὑπὸ τοῦ Βασιλέως ἐκτισμένην) *plurima comportantur.* Ptolemais urbs hìc loci ſignatur, quæ in extremis Syriæ finibus ſita, ab antiquis, & in Arabicis Scriptoribus, *Ace* dicta eſt, ab Hebræis *Acon*, hodie *Acre*; ſed ei per Ptolemæum à ruinis vindicatæ magnopereque ampliatæ vocabulum hæſit *Ptolemaidi.* (q) D. Heylinus noſtras doctiſſimus ſcribit eam reconditam à Ptolemæo Lagi, quod, ſi antiquorum fide queat aſtrui, in argumentum duci poſſit adverſùs Hiſtoriam Ariſteæ, quæ Ptolemæum Philadelphum conditorem ejus ponit. Nam ſi Hiſtoriæ iſtius ſcriptor ætatem in Philadelphi Aulâ habuiſſet, non potuiſſet ignorare uter Ptolemæorum illorum civitatem eam condiderit. Cùm verò Ariſteas, tametſi impoſtor fuerit, id tamen potuerit habere cognitum, contra expreſſum ejus teſtimonium nihil ex facili affirmaverim, quum ratio ipſa non adverſetur, & cæteri Authores mei veteres de re iſtâ ſilentium egerint. (r) Thomas Fullerus perhibet Ptole-

(p) Jafo *ſive* Joppe, à Nubienſi Geographo *Clim. 2. parte 5. vocatur* portus Hieroſolymæ.

(q) *Geographiæ ſive Coſmogr. l. 3.*

(r) *Libro de Bello Sancto Anglice ſcripto l. 2. c. 11.*

Ptolemaidem ſuam ſumpſiſſe appellationem à Ptolemæo cognomento Philometore, quarto in ſerie Regum à Philadelpho; quod, ſi verum, ſatis eſſet ad detegendam Ariſteæ impoſturam. Sed quidem, præterquam quòd Fullerus authorem ſibi (quantum ſuſpicor) habuerit neminem, videtur etiam omnino refragari Scriptor libri primi (f) Machabæorum, qui meminit de Ptolemaide, tanquam vetuſtiore Ptolemæo Philometore. Et (t) Polybius docet illam ætate Ptolemæi Philopatoris illo nomine vocatam fuiſſe, non enim eſt cur putemus Sermonem ejus per Prolepſin inſtitui. Ita Ptolemais appellatur in libro tertio Machabæorum, ſeptimo Capite, ubi agitur de Ptolemæo Philopatore. Quo tamen in loco, ſicut & in aliis, Syriacus Interpres pro *Philopatore*, qui ubique retinetur in Græco textu, ſcribit *Philometorem*. Atverò ad Philopatorem hiſtoriam illam pertinere, cùm aliunde palam eſt, tum hinc quòd in Capite primo habeatur ſermo de Theodoto, viro principe, inſidias contra Regis caput moliente: Theodotum enim à Philopatore, occupatâ *Ptolemaide*, defeciſſe Polybius tradit; & illum capiti Regis inſtruxiſſe

(f) *Cap.* 10.

(t) *L.* 5. *p.* 405.

isse insidias Suidas commemorat. Jam vero ut à digressu, qui non prorsus abs re est, redeamus; quicunque fuerit qui Ptolemaidem revera construxit, nobileque illi nomen dedit; Aristeas de eâ loquitur, tanquam de urbe longo antè tempore à rege Philadelpho constitutâ, nomineque donatâ; & innuit jam diu Hierosolymitanis consuetum fuisse merces Ptolemaide, *Ptolemaï urbe*, suam in urbem asportare. Neque cogitari potest, Ptolemaidem à Philadelpho brevi spatio post adventum ejus ad regnum perfectam fuisse; & tamen ante negotium interpretationis Scripturæ illam absolutam fuisse Aristeas indicat. Unde licet argumentari & inferre, Philadelphum, juxta mentem Aristeæ, diu antequam ex Judæâ LXX. Interpretes accerserentur Ægypti regnum habuisse.

13. Idem loquitur ingens illa Regis gloria famaque per totum terrarum orbem jamdudum pervagata. Perhibet Aristeas virtutem ejus regiam planè & heroicam, in viros eruditiores amorem, *solitam* in illis sibi conquirendis diligentiam, in artibus regnandi peritiam, apud omnes nationes ante tempora versarum Scripturarum celebratam

bratam fuisse atque decantatam. Et tamen, ut superiùs demonstravimus, pera. doleſcens & puer ille fuit, cùm simul cum Patre suo regnum administravit. Philadelphus Rex in Epistolâ ad Eleazarum; *Judæos*, inquit, *liberos fieri jussimus, persuasum habentes, nos hoc piè agere, & offerre munus animi grati Deo maximo*, ὃς ἡμῖν τὴν βασιλείαν εἰρήνῃ καὶ δόξῃ κραίσῃ παρ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διατετήρηκε. *Qui conservavit* (hoc pondero) *nostrum regnum in pace & gloriâ, quæ præstet toto terrarum orbe.*

14. Sosibius Regi, ut captivos Judæos manumitteret, persuadere volens, sic eum alloquitur. *Dignum est tuâ magnanimitate, ut summo Deo offeras istorum liberationem, munus animi pii & grati. Nam cùm à Deo omnium gubernatore* (μεγίστως τετιμημένῳ καὶ δεδοξασμένῳ ὑπὲρ τοὺς προγόνους, εἰ καὶ μέγιστα ποιήσεις χαρίσηται, καθῆκον ἐστί σοι) *ad maximos sis evectus honores & gloriâ illustratus super majores tuos: convenit tibi, ut etiam maxima exhibeas munera, ad declarationem gratitudinis tuæ.* Quæ ostendunt illum ad culmen fælicitatis honorisque sui jam evectum fuisse. Absonum autem est fidei, illum in prioribus regni annis gloriâ excelluisse super

Patrem

patrem ſuum, Ptolemæum Lagi, qui tantâ gloriâ vir tantiſque rebus geſtis fuit: qui vir fuit, ut ſcribit (u) D. Hieronymus, prudentiſſimus, fortiſſimuſque, ac ditiſſimus, & tantæ potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarum expulſum reſtituerit in regnum, Cyprumque ſubegerit & Phœnicen; qui Seleucum, Demetrio Antigoni filio victo, regno reddidit, Syriam totam percurrit armis, Cariam obtinuit, & multas inſulas, urbeſque, & regiones; qui tantâ fælicitate floruit, ut à (x) Luciano *omnium ſui temporis Regum* εὐδαιμονέστατος & prædicetur, & à (y) Juſtino Hiſtorico, ſingulari elogio, vocetur *Magnus*: qui denique tantus fuit, ut ab ipſo, poſteri ſeſe omnes Alexandriæ Reges, *Ptolemæos* ambitioſè dixerint. Philadelphum quidem tanto cum honore regnâſſe, ut Parentem etiam hunc vinceret ſuum quantumcunque, ſicut Ariſteas tradit, ab aliis (z) etiam obſervatur. Verùm non putandum eſt, tantam illius gloriam eluxiſſe, niſi poſtquam regnâſſet diu, & per victorias aliquot, ſuaſque in Æthiopiam expeditiones, aliaque geſta, vulgatâ per orbem terrarum famâ, nomen ingens ſibi comparâſſet, & ampliâſſet imperii ſui termi-

(u) *Comment. ad* Dan. p. 521.

(x) *In* Macrobiis.

(y) *Vide* Syntagma de Pto. c. 3.

(z) *Vide ibid.* cap. 14.

(a) *L. 2. de vitâ Mosis p.* 658.

nos. Aristeæ ad modum, Philo (a) Judæus innuit versionem Græcam absolutam fuisse, postquam Philadelphus supremum magnitudinis suæ fastigium attigisset; ubi gloriatur *id opus, quia magnum erat & Reip. utilissimum, non privatis hominibus obvenisse, nec mediocribus istis principibus & regulis, sed regi omnium longè celebratissimo.* Et paulo post addit: *In universum Ptolemæorum domus cæteris regiis prænituit, inter Ptolemæos vero Philadelphus. Unus enim hic plura laude digna gessit, quàm omnes reliqui ejus familiæ, & tantùm inter Reges eminuit quantùm in corpore anima. Talis princeps, nostræ Legis amore ac desiderio captus, in græcam linguam ex Chaldaicâ transferendam illam curavit.*

15. Interpretum sexagesimus quartus in responsione, quam ad Regis quæstionem adhibuerit, dicit Regem *secundùm leges imperium agitando, ἄφθαρτον μνήμην, immortalem nominis sui memoriam fuisse adeptum.* Et Septuagesimus secundus ait, *illum, justè omnia gubernando, perpetuam sibi gloriam consecutum fuisse.* Unde quis non videt, plurimos annos jam Regi effluxisse, & tam celebrem evasisse justitiæ ipsius famam, post-

postquam illam ipsius subditi longo tempore fæliciter experti fuerant?

16. Decimus senex interrogatus; *Quis finis esset fortitudinis?* respondet, *Si quod in rebus arduis & periculosis fuerit rectè deliberatum & constitutum, id etiam ita pro animi sententiâ expediatur.* Τελειοῦται δὲ, addit, ὑπὸ τοῦ θεοῦ πάντα σοι, καλῶς βουλομένῳ. *Sed tibi, O Rex, à Deo præclarè omnia perficiuntur, qui recta & salutaria habes proposita.* Quibus datur intelligere, Philadelpho bella jam olim prosperè successisse.

17. Eleazarum, Judæorum Pontificem Maximum, dixisse legimus, *Se novisse Regem ob virtutis, quo excelluit, studium & amorem, hujus præcipuè curam habuisse, ut ubicunque locorum celebretur aliquis doctrinâ & prudentiâ præ aliis excellens, eum ad se accerseret. Nam quoque* (subjungit) *dicere solitum illum audivi* (hoc præcipuè noto) *& rectè quidem; Quòd si habeat apud se justos & moderatos viros, habeat secum regni sui magnum præsidium, & munimentum* &c.

18. Senex sexagesimus octavus interroganti Regi; *In quibus rebus Reges majori tempore versari deberent?* responso dato; *In lectione & commentariis legationum maximè iis esse versan-*

*dum*: subnectit, ὃ σὺ πράσσων οὐκ ἔφικτον ἄλλοις δόξαν κέκτησαι θεοῦ σοι τὰ βουλήματα συντελοῦντος. *Quo studio tu, Deo promovente tuos conatus ad ipsorum fines, consecutus es gloriam aliis inaccessibilem.* Quæ docent Philadelphum in senectutem jam inclinâsse: Et sanè de illo jam sene, ejusmodi omnia dici, pro haud dubio habuit Latinus ejus Interpres, Matthias Garbitius, ut ex sequentis loci versione colligitur. Cùm Rex quæreret, *Qualis vitæ ratio sit ineunda, & quid agendum in otio & remissione animorum*: Judæorum advenarum sexagesimus nonus, responsione redditâ, subdit; Σὺ δὲ πᾶσαν ἠσκηκὼς καταστολὴν διὰ τῶν ἐνεργειῶν, φιλοσοφεῖς διὰ καλοκαγαθίαν ὑπὸ θεοῦ τιμώμενος. Quæ Garbitius ita Latinè reddit: *Tu verò, cùm senio usque vitæ & actionum sis exercitatus, philosopharis in studio & actionibus virtutis perfectæ, ex illâ præstantiâ honoris, quæ tibi à Deo contigit.* Quamvis de senectute in Græco nihil expressò habeatur, clarum tamen est significari ætatem à laboribus ad otium devexam. Indicatur Philadelphum eo tempore, otio, remissionibus, studiisque jam totum se dedisse. Atque istiusmodi quidem rationi vitæ tunc illum præcipuè seipsum addix-

addixiſſe, cùm ætate jam provectior multis conficeretur infirmitatibus, Ælianus diſertim aſſerit in loco inferiùs Sectione viceſimâ adducendo.

19. His omnibus adde, mentionem fieri de Soſibio Tarentino, tanquam viro apud Philadelphum, cùm Verſio S. Scripturæ confecta fuerit, honoratiſſimo: quem omnino videtur eundem fuiſſe cum illo Soſibio, qui, regnante Philadelphi filio, in Regiâ Alexandrinâ floruit; &, Philadelphi nepote Ptolemæo Philopatore regnum ineunte, *ſummam habuit in regno authoritatem*, ut inquit (b) Polybius, & ex eo (c) Plutarchus: & quem Suidas ex (d) Polybio, σκεῦος ἀγχίνουν, καὶ πολυχρόνιον *vas callidum & valde-ſenem* vocat. Illi verò per ætatem non licuit Conſiliariorum Philadelphi, niſi jam ſeneſcentis, numero accenſeri: Cùm inter Philadelphum & Philopatorem anni interjecti fuerint viginti quatuor, & quod excurrit, Ptolemæi Euergetis regno tribuendi.

(b) *Hiſt. l. 5. p. 381.*
(c) *Vitâ* Cleomenis *p. 821.*
(d) *Excerptis* Conſtant. Porphyrog.

20. Accedere poteſt deniq; quòd Philadelphus Bibliothecam ſuam non condiderit, ſeu potiùs animum ad ornandam illâ non appulerit, niſi annis multis regni ejus præteritis. Quod ut demonſtrem, attexam hìc loci quæ illâ de re elucubravi.

bravi. Ab Interpretatione S. Scripturæ ante natum Chriſtum *trecentos ferè annos* numerat (e) Magalianus, *trecentos* (f) Willetus noſter, *trecentos plus minus* (g) Feuardentius & (h) Chamierus, *trecentis amplius* (i) Salmeron & (k) Galeſinius, *uno plus trecentis* (l) Poſſevinus ac Author Præfationis ad Editionem Romanam Verſionis Græcæ: quo videtur illos voluiſſe illam & Bibliothecam confecta fuiſſe principio regni Philadelphi. Verùm quàm levis ſit momenti illorum hac in re judicium, inde facilè apparet, quòd Ptolemæus Lagi, cujus Filii Philadelphi auſpiciis Verſionem adornatam opinati ſunt, annis non amplius *CCLXXXIII.* ante adventum Servatoris noſtri exceſſit ex vivis: tot enim colliguntur ab initio Olympiadis *CXXIV^a*, quo circitèr Ptolemæus Lagi diem obiit, ad annum *III.* Olympiadis *CXCIV^a*, quo Chriſtum natum prodit Euſebius. (m) Sixtus Senenſis annis *L.* pluſquam illi contra temporum rationem peccat, Verſioni aſſignans annos ante Chriſtum *CCCL.* atque ita (n) Barrius, Tertulliani Editor; qui tamen agnovit Verſionem confectam fuiſſe Olympiade *CXXIV^a*. Alius quidam ulteriùs aberrat, numerans annos ante

(e) *Præf. ad Com. in* Joſuam *ſect.* 4.
(f) *Synopſi Papiſmi p.* 20.
(g) *Notis in* Irenæum *l.* 3. *c.* 25.
(h) *Paraſtrat. l.* 12. *c.* 1.
(i) *Prolegom.* 5.
(k) *De LXX. Interp.*
(l) Bibliothecæ ſelectæ *l.* 2. *c* 8. & Apparatu Sacro, *in voce* Sept. duo Interp.
(m) Bibliothecâ Sanctâ, *voce* Sept. duo Interp.
(n) *Notis in* Tertull. *Apolog. c.* 18.

ante Christi ortum *CCCLXI*, qui ferè octoginta fuerunt ante initium Philadelphi. Inter antiquiores autem Authores unus Eusebius, (&, qui illum hac in re secuti sunt Marianus Scotus, & Author Chronici Alexandrini sive Fastorum Siculorum) Versionem Græcam refert ad initium Philadelphi; ad quem annum verò, propter discrepantiâ exemplarium non satis constat. Editiones omnes (quas viderim) Scaligerianâ priores Versionem conferunt ad annum *tertium* post mortem Ptolemæi Lagi, Antonius verò * Coccius Sabellicus ait Versionem ab illo prodi ad annum *quartum*, de quo ipse illi assentitur; (°) Serarius dicit Versionem ab eo conjici ad annum *quartum* vel *quintum*; membrana quædam (annotante Pontaco) annum *primum* assignat; Editiones Scaligerianæ, cùm Græca tum Latina, annum *secundum* definiunt, quam lectionem antiquiorem esse videtur quia Chronicon Alexandrinum & Marianus Scotus ad eundem annum Versionem referunt, secuti procul dubio Eusebii rationes. Utut calculum Eusebius ponebat, videtur illum eâ solâ de causâ Versionem ad initium regni Philadelphi contulisse, quòd non didi-

(*) *Enneadis* 4. *l.* 8. *p.* 641.

(o) *Proleg.* 17. *Quæst.* 9.

didiciſſet quo tempore confecta fuerit; atque ideo (ut ferè fieri ſolet) ad initium regni ejus negotium illud enarravit. Philadelphum enim ineunte regno ſuo in Bibliothecam adornandam non incubuiſſe, ex eo fit veriſimile, quòd puer, ſive adoleſcens, tunc temporis fuerit; & idcirco videtur aliis quibuſvis rebus, quàm libris congerendis curandiſque addictior. (p) Epiphanius huic rei teſtimonium adhibet; per quem non licet Verſionem collocare ante annum *decimum ſeptimum* à morte Ptolemæi Lagi, & *decimum nonum* currentem ab admiſſione Philadelphi ad regnum; vel ad minimum, non ante *ſeptimum* mortis Ptolemæi Lagi, & *nonum* admiſſi ad regnum Philadelphi exeuntem. In diſcrimine enim ſunt eruditi Viri utrùm Epiphanius Verſionem contulerit ad annum *decimum ſeptimum*, an ad *ſeptimum* ab obitu Ptolemæi Lagi. In Latinis editionibus Epiphanii, *decimus ſeptimus* annus ferè exactus aſſignatur, quas ſecuti ſunt quamplurimi docti Viri, (q) Lipſius, (r) Buntingus, (s) Codomannus, (t) Temporarius, (u) Beroaldus, (x) Functius, (y) Tirinus, (z) Zanchius, (a) Bellarminus, (b) Doſma, (c) Kimedoncius, (d) Calviſius,

(p) *De Pond. & Menſ. c.* 12.
(q) *De Bibliothecis c.* 2.
(r) *Chron. l.* 1. *p.* 77. *qui tamen p.* 690. *juxta* Euſebium *ponit annum* 3.
(s) *Annal. ad an.* 3873.
(t) *Chron. demonſtrat. l.* 1. *p.* 77.
(u) *Chronico S. Scrip.*
(x) *Chronolog.*
(y) *Indice Auctorũ ad* Comment. *voce* Ariſteas.
(z) *De Scrip. S. Quæſt.* 10. *p.* 316.
(a) *De Scriptor. Eccleſ.*
(b) *De Script. S. Authoritate l* 2 *c.* 5.
(c) *De Scripto Dei verbo l.* 5. *c* 2.
(d) *Chronolog. ad an. M.* 3681.

vilius, & (e) Episcopius, qui Versionem tradit absolutam anno ante Christum *CCLXVII.* Quibus addendi (f) Wowerius, & (g) Matthias, qui annum Philadelphi *decimum sextum* Versioni tribuunt; & (h) Chytræus, qui illam ad annum *XVtum* apponit. Alii pro anno *decimo septimo*, ex Græco *septimum* legunt apud Epiphanium, quorum in numero sunt (i) Jos. Scaliger, (k) Labbeus, (l) Salianus, (m) Bibliander, (n) Serarius, (o) Usserius noster, ac (p) Waltonus. (q) Bonfrerius verò dubitat utrùm *decimus septimus annus*, an *septimus* ab Epiphanio assignatus fuerit. Et sanè si Græcum ipsum consulamus, nonnihil dubii in illo ipso extare comperiemus. Quamvis enim *septimus* definiatur annus, id tamen non benè convenit cum numeris ab Epiphanio tributis Ptolemæis singulis. Si enim hos omnes computemus, exurget numerus annorum *CCCVI.* ex quibus, subductis annis *CCXLIX*, quos dicit effluxisse ab Interpretatione ad occubitum Cleopatræ, manebunt anni ante Versionem *LVII*; è quibus *XL* Ptolemæo Lagi tribuendi sunt, & *XVII* Philadelpho. Satis quidem probabile videtur pro annis *XXXII*, qui Cleopatræ in

(e) *Justitut. l. 4. Sect. 1. c. 21. p. 274.*
(f) *De Interp. Bibl. c. 1. p. 25.*
(g) *Theatro Hist. p. 362.*
(h) *Serie Temporum Mundi p. 203.*
(i) *In Euseb num MDCCXXIV.*
(k) *Chron. parte 2. p. 134.*
(l) *Annal. ad an. M. 3775. p. 361.*
(m) *Temporum Supputat. p. 110.*
(n) *Prolegom. c. 17. Quæst 9.*
(o) *Annal. ad an. M. 3727.*
(p) *Prolegom. Bibl. Polyglot. 9. c. 5.*
(q) *Prolog. Bibl. c. 16. sect. 1.*

vulgatis Epiphanii codicibus aſcribuntur, legendos eſſe *XXII.* quot Chronologi ſolent illi dimetiri: ſed non certum eſt, quoniam idem numerus retinetur in ſummâ conjunctorum annorum Ptolemæorum, in quâ computantur anni *CCCVI.* τεταχόσια ἓξ. quæ tamen, tributis Cleopatræ annis duntaxat *XXII.* non ſuperat numerum *CCXCVI.* Utcunque ſibi voluerit Epiphanius, annus tamen *decimus ſeptimus* propiùs accedit ad veritatem. Si Arabicos Scriptores afferre liceat; habemus duos, ejuſce rei teſtes; quorum alter opus Verſionis *undeviceſimo*, alter *viceſimo* Regni Ptolemæi ſecundi anno aſcribunt. Primus eſt *Armius* quidam Chronologus, nomine tenus notus, quem citat Arabicus quidam Commentator in Pentateuchum, in Præfatione Commentariorum, qui literis Syriacis conſcripti habentur (r) in nobiliſſimâ noſtrâ Bibliothecâ Bodleianâ: Verba Latinè ſic ſonant; *Sic dicit Armius Chronologus: Decimo nono anno regni Ptolemæi, Filii Ptolemæi, Rex juſſit ut congregarent Seniores Filiorum Iſraelis*, ut transferrent Legem. &c. Alter eſt Eutychius, ſive Said Ebn Batric, (ſ) qui in Annalibus Alexandrinis de ſecundo Ptolemæo (per quem tamen

(r) *Cit. à* Joh. Gregory *de LXX. Interp. p.* 19.

(ſ) *P.* 196.

tamen alium (t) à Philadelpho significat) locutus, subdit: *Hic anno regni sui vicesimo Hierosolyma mittens, inde LXX. Viros è Judæis Alexandriam adduci curavit, quos sibi Legem librosque Propheticos è linguâ Hebraicâ in Græcam transferri jussit.* Si Authores probatiores adeamus, & quo tempore Philadelphus suam institueret Bibliothecam apud illos inquiramus, constabit argumentis & indiciis non tenuibus illum in curam stupendi illius operis non incubuisse antequam meliorem sui regni partem transegerat. Atque hoc in primis ex Strabone potest probabiliter colligi, qui (u) affirmat illum ad magna illa molimina, quibus tam præclarus factus est, animum adjunxisse, *quando propter corporis imbecillitatem semper novæ alicujus oblectationis materiam expeteret.* Οὗτοι (Reges Ægypti) γὰρ ἐφρόντισαν τῶν τοιούτων (ingentium operum:) διαφερόντως δὲ ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθεὶς, φιλιστορῶν, καὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ σώματος, διαγωγὰς ἀεί τινας καὶ τέρψεις ζητῶν καινοτέρας. Philadelphum enim non semper, & â pueritiâ, infirmitate corporis laborâsse, sed vitam voluptuosam diu agendo illam contraxisse ex Phylarcho colligere est, qui apud Athenæum (x) tradit illum

(t) *Vide* Tabulam *Chronol.* Ptolemæorum *in Prooemio* Syntagmatis de Ptol. *fol. ult.* & *ipsum* Syntagma *cap.* 22.

(u) *Geogr. l.* 17. *p.* 543.

(x) *L.* 12. *p.* 536.

διαφθαρῆναι ὑπὸ τῆς ἀκαίρου τρυφῆς, *perditum fuisse importuno luxu*, & docet invaletudinem ejus fuisse *podagram*. Atq; hoc tempore Philadelphum in Bibliothecâ instruendâ curas confixisse admodum verisimile esse, confirmatur suffragio doctissimi Ludovici Vivis, Viri magno judicio præditi, quem reperio (y) scribere *Philadelphum maturiore suâ ætate, quo tempore morbis afflictaretur, proculque â bellis gerendisque rebus esse cogeretur, studiis se tradidisse, accitis undique Ingeniis & constructâ Bibliothecâ.* Atque hanc sententiam Vivis esse perquam probabilem pronunciat (z) Torniellus. Huic argumento adest luculentum (a) Æliani testimonium qui declarat Philadelphum tunc præcipuè in bonis literis operam posuisse, & eruditum evasisse, quando, annis jam vergentibus in senium, valetudine ad morbos propensâ uteretur. Adferens enim multorum exempla, qui, cùm per magnum ætatis suæ spatium à studiis & literis operam suam atque industriam aliò traduxerant, tandem per otium invaletudinis vacantes bonarum artium contemplationi, rei literariæ præsidiis sese instruxerunt; tradit idem Ptolemæo Philadelpho contigisse: Μακάρι-

ον

(y) *Notis in S. Aug. l. 18. de Civ. Dei c. 42.*

(z) *Chron. ad an. M. 3798.*

(a) *Var. Hist. l. 4. c. 15.*

τον δὲ λέγουσι, καὶ Πτολεμαῖον γενέσθαι τὸν δεύτερον, καὶ αὐτὸν νοσήσαντα. *Aiunt etiam Ptolemæum secundum doctissimum evasisse cùm infirmè valeret.* Jamverò vix dubium est quin illo tempore Bibliothecam suam adornare cœperit, cùm in libris otium illud suum posuerit, & animum sacris Musarum artibus tanto studio adjecerit. Adde quòd ex Galeno colligere liceat *Philadelphum* è vivis decessisse quando in Bibliothecâ instruendâ occupatus fuerit, & perficiendam illam Filio suo, Ptolemæo Euergeti, reliquisse. Ad instructionem enim Bibliothecæ tanto nisu Ptol. *Euergetes* sese contulit, & tot libros in illâ recondidit, ut Galenus studium ejus Bibliothecæ Alexandrinæ ornandæ maximè celebraverit, & illam, non *Philadelphi*, sed *Euergetis* vocaverit. Quod haud discerno quomodo potuerit fieri, si *Philadelphus* incipiente regno Bibliothecam tanto conamine apparavisset: quoniam, cùm tantum fuit regni ejus spatium, & tantum Bibliothecæ studium; nequivisset non corrasisse tot volumina, ut ipsi, non alii cuivis Ptolemæo, Bibliothecam acceptam omnes retulissent. Galeni autem locus est in (b) Commentario secundo in

(b) *Fol.* 196 *tomi* 5. *edit. Græcæ.*

in librum tertium Hippocratis *de* (e) *Morbis Vulgaribus*, ubi disserens de Notis in illo libro repertis, ait Exemplar quoddam *in Bibliothecâ Ptolemæi Euergetis* (id est, Alexandrinæ) *repertum fuisse illis characteribus notatum manu Medici cujusdam Pamphili.* Εὑρεθῆναί τε βιβλίον τι τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος ἔχον αὐτοὺς διασκευασμένους ὑπό τινος ἰατροῦ Παμφίλου. Paulo pòst Bibliothecam illam vocat τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεγάλην βιβλιοθήκην. Et, aliquibus interjectis; καὶ φιλότιμον, inquit, περὶ βιβλία τόντε βασιλέα τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖον οὕτω γενέσθαι φασὶν ὡς καὶ τῶν καταπλεόντων ἁπάντων τὰ βιβλία κελεῦσαι πρὸς αὐτὸν κομίζεσθαι. &c. hoc est: *tanto fuisse erga libros studio Ptolemæum Ægypti Regem dicunt, ut omnium in Ægyptum navigantium libros ad se deferri juberet, & transcribi curaret, & quos à dominis acceperat in Bibliothecâ suâ reponeret, redditis iis illis quos exscripserat libris.* Paulò infrà subdit: Ὅτι δ' οὕτως ἐσπούδαζε περὶ τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων κτῆσιν ὁ Πτολεμαῖος ἐκεῖνος, οὐ μικρὸν ᾖ μαρτύριόν φασιν, ὃ πρὸς Ἀθηναίους ἔπραξε. δοὺς γὰρ αὐτοῖς ἐνέχυρα πεντεκαίδεκα τάλαντα ἀργυρίου, καὶ λαβὼν τὰ Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου καὶ Αἰχύλου, βιβλία, χάριν τοῦ γράψαι μόνον ἐξ αὐτῶν,

εἶτ

εἶτ' εὐθέως ἀποδοῦναι σῶα, &c. *Tanti autem Ptolemæi illius studii ad veterum libros comparandos magnum esse argumentum referunt rationem quam habebat cum Atheniensibus; qui quindecim pignoratis argenti talentis, ab eis accepit Sophoclis, & Euripidis, Æschylique libros, ut eos tantùm describeret, & mox sartos tectos restitueret. Magnificè cùm apparavisset eos in pulcherrimis chartis, quos ab Atheniensibus acceperat, retinuit: illis misit, quos ipse paraverat, orans quindecim talenta tenerent acciperentque novos pro veteribus, quos ipsi dederant, libros. Quòd si Atheniensibus ne novos quidem remisisset libros, sed veteres retinuisset, non erat quòd ægrè ferrent, qui argentum hac lege acceperant, ut hoc ipsi servarent, si ille retineret libros. Itaq; illi simul & novis libris, & argento sunt potiti.* Profitetur Galenus hæc se ex antiquo Zeuxidis cujusdam in prædictum Hippocratis librum Commentario desumpsisse. Advertendum porro est, ab illo dici Ptol. *Euergetem* libros Athenienses adeptum fuisse, & in Bibliothecâ Alexandrinâ reposuisse, quòd idem factum *Philadelpho* tribuitur ab (c) Athenæo, qui scribens de (d) Neleo, in cujus potestate (e) Aristotelis libri fuerunt, subjungit:

(c) *Deipnos initio libri primi*

(d) *Legendum enim* Νηλέα, *non* Πηλέα.

(e) *Leg. enim apud* Athen. τούτου *non* τούτων.

παρ'

παρ' οὗ πάντα φησὶ πριάμενος ὁ ἡμέδαπος βασιλεὺς Πτολεμαῖος, Φιλάδελφος δ' ἐπίκλην, μετὰ τῶν Ἀθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ Ῥόδου, εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν μετήγαγε. *A quo scilicet omnes mercatus Ptolemæus rex nostrâs, cognomine Philadelphus, cum iis quos Athenis & Rhodo nactus fuerat, in pulchram Alexandriam transferri curavit.* Quos libros Athenienses, eosdem fuisse cum illis, quorum Galenus meminit, omnino videtur, quia non est dubitandum, quin Philadelphus, Euripidis, Sophoclis, Æschylique, tam clarorum (f) Poetarum, libros penes se habere cupiverit: & si eos rogâsset Athenienses, cogitari nequit illum repulsam passurum ab illis, qui plurimis se nominibus ipsi astrictissimos agnoverunt, & (ut docet Pausanias) magno in honore habuerunt, erectâ in honorem ejus statuâ, & Tribuum unâ ab illius nomine appel-

(f) *Duo fuerunt* Ptolemæi, Euergetis *cognomento insigniti; quorum* posterior *videtur ad ornationem* Bibliothecæ *multum contulisse, quippe qui libris deditissimus fuit, & ob doctrinam* Philologi *agnomen obtinuit. Cæterùm hic non videtur designari à* Galeno, *quia non est verisimile* Bibliothecam Alex. *tam diu, nempe annis plus minus centum post mortem* Philadelphi, *caruisse Operibus* Poetarum *tam celebrium. Nec videtur probabile* Philadelphum, *virum conquirendis libris tam præclarum, cæterosque post illum Reges, tam paucos congessisse libros, ut superessent tot Volumina à posteriore* Euergete *adjicienda, ut propter illa,* Bibliotheca *ei, tanquam conditori, à* Galeno *ascribi posset.*

latâ

latâ *Ptolemaide*. Quibus poſitis, conficitur, vel Galenum perperam pro *Philadelpho Euergetem* ſuppoſuiſſe, quod affirmari nequit, vel ſupradictos libros à *Philadelpho* accerſitos fuiſſe, & libros ex illis deſcriptos remiſſos fuiſſe (ſicut Galenus refert) ab *Euergete*, Philadelpho brevi poſt accitos libros moriente. Unde ſequitur Philadelphum non niſi paulo ante mortem ſuam in condendâ Bibliothecâ ſe totum collocâſſe. Videtur quidem contrarium ex eo colligi poſſe, quòd Athenæus tradit Philadelphum Ariſtotelis libros emiſſe à Neleo, qui, cùm (Authore[h] Strabone) Ariſtotelis Auditor fuerat, vix credi poſſit in vitâ fuiſſe exituro Philadelphi regno, quandoquidem inter mortes Ariſtotelis & Philadelphi anni interpoſiti fuerint propè octoginta. Verùm manifeſtum eſt Athenæum in eo falli; Strabo (*i*) enim ſuprà laudatus, teſtis eſt locuples *Neleum Scepſium*, *Ariſtotelis & Theophraſti libros*, *quos ipſi Theophraſtus ſupremis tabulis legaverat*, *Scepſin Athenis tranſtuliſſe*, *& poſteris ſuis reliquiſſe*. *A quibus*, *ineruditis viris*, *illos ſub terrâ in foſſâ occultatos fuiſſe*, *ne à Regibus Attalicis*, *quibus Scepſis civitas parebat*, *Bibliothecam*

(h) *L.* 13. *p.* 419.

(i) *Loco cit.*

*thecam Pergamenam inſtruentibus, illuc transferrentur. Ibi humore & blattis miſerè vitiatos fuiſſe, & tandem Apelliconi Teio magno pretio venditos; &, Syllâ, cùm Athenas cepiſſet, hujus bibliothecam recipiente, alla os fuiſſe Romam.*

(k) *Vitâ Syllæ.* Plutarchus (k) eorundam author eſt, qui refert *antiquiores Peripateticos Ariſtotelis & Theophraſti ſcripta neque pleraque neq; exactè volviſſe, verùm ob haredem Nelei Scepſii, ea ad inertes atque indoctos homines recidiſſe.* Et præterea Ariſtotelis bibliothecam in manus Philadelphi non deveniſſe colligere liceat ex Ammonii Hermiæ Scholiis (l) in Ariſtotelis Categorias, qui ſcribit *Ptolemæum Philadelphũ Operum Ariſtotelis conquirendorum perinde ac reliquorum, perſtudioſum fuiſſe, pecuniaſq; iis perſolviſſe qui Philoſophi libros ad ipſũ afferent. Quo factum eſſe ut quidam, quæſtum conſectantes, libros Philoſophi nomine inſcribentes comportarent; adeò ut in magnâ* Alexandriæ *Bibliothecâ, Analyticorum* Ariſtotelis *quadraginta, Categoriarum duo libri inventi fuerint.* Si enim Ariſtotelis Bibliotheca, & ipſiſſimi libri ab illo ſcripti, in Bibliothecâ Alexandrinâ repoſita fuiſſent, quid opus fuiſſet recondendi libros quotquot ſub

(l) *Præfatione.*

ejus

ejus nomine afferrentur, cùm una ejus Bibliotheca inſtar omnium fuiſſet? Quin ſi faciamus (quod concedi nequit) Neleum Ariſtotelis libros Philadelpho vendidiſſe; ſequetur tamen id fieri non potuiſſe ante partem poſteriorem regni Philadelphi, ſi verum ſit, quod multi concedunt, (me vero ([l]) habere dubium fateor) Theophraſtum vitam produxiſſe ad annum ætatis centeſimum ſeptimum, ut proditur à S. Hieronymo, & confirmatur in Præfatione Theophraſti ad ſuos *Characteres*, ubi ſecundùm univerſa exemplaria, & ſuffragante ([m]) Joh. Tzetze, dicitur Characteres illos meditatus cùm annos *nonaginta novem* abſolviſſet: Theophraſtus enim Ariſtotelis libros cum ſuis teſtamento moriens reliquit Neleo; &, ſi ad tantam ætatem pervenerit, vixpotuit moriante præteritam regni Philadelphi majorem partem: ſiquidem Ariſtotele multò junior fuit, utpote ejus diſcipulus; à quo tamen nato ad medium Philadelphi regnum peracti ſunt anni non amplius *CXXXVIII.* tot enim colliguntur ab anno primo Olympiadis *XCIX^a*, quo Ariſtotelem natum tradit ([n]) Apollodorus, ad annum *II.* Olymp. *CXXVIII^a* abſolutum, qui viceſimus fuit regni

(l) *Theophraſtum viviſſe annos duntaxat 85. videtur cùm ob teſtimonia Laertii, tum ob alias rationes.*

(m) *Chiliad. 7. 296.*

(n) *Chronicis ap. Laertium.*

Philadelphi, & decimus octavus ab obitu Ptolemæi Lagi. Verùm hæc mittamus; & videamus an aliunde poſſit aſtrui Philadelphum Bibliothecam ſuam confeciſſe vergente ad exitum ipſius regno. Sanè huic opinioni Theocritus vigorem adjicit, qui in Idyllio decimo ſeptimo, quod Ἐγκώμιον εἰς Πτολεμαῖον, *Laudatio Ptolemæi* Philadelphi, inſcribitur, Philadelphum celebrat propter fortitudinem, opulentiam, imperii magnitudinem, militum multitudinem, & munificentiam in Poëtas *&c.* de doctrinâ tamen ejus & Bibliothecâ celebratiſſimâ illâ, quam ornavit, & quæ maximè in admirandis & in laudibus ejus ponenda fuit, nullam omnino mentionem facit. Unde conficitur illum eruditione nondum claruiſſe, & nondum Bibliothecam in curâ habuiſſe, quando Theocritus Encomium illud compoſuerit: quod tamen diu poſt initium regni ejus compoſitum fuiſſe cùm aliunde conſtat, tum exinde quòd de nuptiis ejus cum Sorore ſuâ canitur. A nobis inſuper eſt quòd Vitruvius (o) innuit Alexandrinam Bibliothecam poſt Pergamenam, nempe per æmulationem, conſtructam fuiſſe; his verbis: *Reges Attalici magni*

(o) *Præfatione libri ſeptimi de Architecturâ.*

*nis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergami Bibliothecam ad communem delectationem inſtituiſſent: tunc item Ptolemæus infinito zelo cupiditatiſq; ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis ad eundem modum contenderat Alexandriæ comparare.* Bibliothecam enim Pergamenam ante tempora Regis Eumenis, primi ejus tituli, inſtitutam non fuiſſe demonſtratur ex (p) Strabone & (q) Plinio, inter quos convenit *Eumenem* fuiſſe illius conditorem; conſequitur itaque juxta Vitruvium *Eumenem* illum fuiſſe primum illius nominis: & inde conficitur Bibliothecam Alexandrinam à Philadelpho conditam fuiſſe poſt annum ut minimè viceſimum ſextum regni ipſius, & viceſimum quartum à deceſſu Ptolemæi Lagi; Eumenes enim hujus tituli primus, ſecundus Pergami Rex, illo anno, nempe quarto Olympiadis *CXXIX^a*, (ut eſt in Anagraphe Olympiadum) incepit regnare; & Philadelpho ſuperſtes fuit annis circitèr ſeptem. Hæc inquam ſequuntur, ſi ſequamur Vitruvium, de cujus quidem fide ipſe fateor dubito, utpote quem ſuſpectum habeo peccandi ſæpius in eodem loco contra Chronologiam;

(p) *L.* 13. *p.* 249.
(q) *Hiſt. Nat. l.* 13. *c.* 11.

Zoilus

Zoilus enim & Aristophanes Grāmaticus, quos Regi Philadelpho coætaneos facit, neuter videtur Philadelphi tempore floruisse, sed ille ante, hic post illius regnum videtur claruisse: Et, quod caput est, (r) Strabo disertim asserit Bibliothecæ Pergamenæ conditorem fuisse *Eumenem* hujus nominis secundum, qui incepit regnare diu post decessum Ptolemæi Philadelphi. Itaque Vitruvii authoritatem judicio Lectoris permittam; & ad hæc omnia adjiciam expressa & illustria quorundam testimonia, Philadelphum Bibliothecam suam instituisse brevi admodum spatio antequam naturæ satisfaceret. Georgius (s) Syncellus hoc disertim testatum fecit, affirmans Bibliothecam ab illo adornatam Olympiade *CXXXIIâ*, cujus annus primus incidit in annum ante obitum Philadelphi sextum. Πτολεμαῖος inquit, ὁ Φιλάδελφος ἐν Αλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκην καθίστησιν ρλβ' Ὀλυμπιάδι, ἧς πληρουμένης τελευτᾷ, δέκα μυριάδες βιβλίων ἦσαν ὥς τινες φασίν. *Ptolemæus Philadelphus Bibliothecam in Alexandriâ instituit Olympiade CXXXIIâ, quâ exeunte decessit pariter ex vitâ: decem myriades librorum fuerunt, ut nonnulli dicunt.* Eadem habentur in libro primo (t) Chronicorum

(r) *Loco modò citato.*

(s) *Chronographiæ p. 273.*

(t) *P. 66. edit. ult.*

rum Eusebii Græcorum, in quo tamen deest πλειονῶν, ut sensus sit, decem fuisse myriadas librorum in bibliothecâ, cùm *completa* fuerit. Quem sensum veriorem esse cùm ex ipsis videtur verbis, tum ex eo quòd Philadelphus vitam cum morte commutaverit non exeunte Olympiade prædictâ, verùm anno secundo proximæ. Sin verò Syncellus scripserit πλειοῦσι; conspicuum est illum voluisse Bibliothecam conditam fuisse intra quadriennium ante mortem Philadelphi. In Goarii editione Syncelli ad marginem annotatur ἐλάττω, quasi aliud exemplar Bibliothecam conjiceret ad Olympiadem *CXXXIam*, quam Goarius quoque in Latinâ suâ ponit Versione: quam lectionem si recipiendam censeas, Bibliothecam tamen intra decennium ante obitum Philadelphi institutam fuisse constaret luculento Syncelli testimonio. Id verò fortasse Goarius adjecit in Marginem non ex codice aliquo, sed ex conjecturâ, quoniâ Eleazari Pontificatus non duravit ad Ol. *CXXXIIdam*. Jos. Scaliger (u) ait Julium Africanum, præclarum Chronologum, Bibliothecæ Philadelphi institutionem conferre ad Olympiadem supradictam, *viz. CXXXIIam*, cui

(u) *Ad Euseb. num.* 1734.

cui computo Scaliger calculum ſuum adjicit,(x) aliique recentiorum docti viri ſuffragantur. Crediderim verò Africani ſententiam aliunde locorum elici non poſſe, quàm ex citatis Syncelli verbis, qui quidem in hac re (ut aliis pleriſque ſolet) videtur Africanum præeuntem habuiſſe. Huic opinioni propè accedit Eutropius quidam quem memini ab (y) Antonio Coccio Sabellico citatum dici rejicere Bibliothecæ inſtitutionem in *trigeſimum ferè* Philadelphi annum, id eſt, trigeſimum ſecundum ab eo tempore, quo Philadelphus incepit cum Patre ſuo regno præeſſe: ſolet enim vulgò Philadelphi regnum ſupputari ab obitu Ptolemæi Lagi. Videtur denique ipſe Flavius Joſephus à nobis facere, nimirum aſſerere Verſionem Græcam fuiſſe confectam ipſo ultimo Philadelphi anno, nempe quadrageſimo; qui colligendus

(x) Dan. Rivetus, *Iſag. in S. Scrip. c.* 10 § 3. *Et vir doctiſ.* D. Adam Littleton, *qui in* Tabulâ Chronol. *Dictionario affixâ* LXX. Interpretes *refert ad annum poſt mortem* Ptol. Lagi *XXXIIdum, vel XXXIIIum.* Rabbi David Ganz *in Chronologiâ Sacrâ-profanâ, quam* Germen Davidis *inſcripſit, parte* 2. *ad an.* 484. *Millenarii quarti, et ad an.* 515. *ait interpretationem S. Scripturæ confectam anno* Philadelphi *XXXImo. id eſt, ab obitu* Ptol. Lagi. Cornelius à Lapide in Encomio S. *Scripturæ Commentariis ipſius præfixo, p.* 15. Jacobus de valentiâ *Tractatu Sexto Prologi in Pſalterium*, Galatinus *de Arcanis Cathol. Veritatis l.* 1. *c.* 3. & Driedo *de Catalogo S. Scripturæ l.* 2. *c.* 1. à Verſione & Bibliothecâ *conditâ ante* Chriſtum *recenſent annos CCL. Annus autem ante* Chriſtum *CCLus connectitur cum anno ante mortem* Ptol. Philadelphi *ſexto.* (y) *Enneadis* 4. *l.* 8. *p.* 641.

eſt,

est, non à morte Ptolemæi Lagi, ut vulgariter numerari solet, sed ab illo tempore, quo Philadelphus ab eo in socium regni admissus fuit. Quod quidem putari nequit illum ullam aliam ob causam existimâsse, quàm quòd accepisset Philadelphum extremo regno suo in Bibliothecam conficiendam curas contulisse. Locus autem, unde hoc elicio, principium est secundi Capitis Libri Antiquitatum duodecimi: ubi, narratis in præcedente Capite Ptolemæi Lagi gestis, in hæc verba subjicitur. Ἔπειτα δὲ βασιλεύων τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος, ᾧ κατὰ νοῦν αὐτῷ ἐπ' ἔτη ἐνὸς δέοντα τεσσαράκοντα, τὸν νόμον ἡρμήνευσε. &c. Quem locum non sum nescius Interpretes ejus aliosque eruditos viros solere ita intelligere, quasi vellet Josephus Philadelphum annis undequadraginta in universum regnavisse: Cæterùm, ut ne memorem vix ullum alium Authorem annos regno Philadelphi triginta novem (z) assignare, sed vel triginta octo ab obitu ipsius Patris, vel quadraginta ab initio ipsius regni vulgò numerari: & ut mittam, Philadelphi consuetudinis non esse, quot annis regnârint alii Ptolemæi prodere; ne-

(z) *Vide* Syntag. *de* Ptol. *cap.* 13.

que Philadelphi regnum tam longum fuiſſe, ut illius ſpatium, annis aliorum ſilentio præteritis, commemorari mereretur, cùm ipſe Ptolemæus Lagi vel tam diu vel diutiùs in adminiſtratione regni fuerit: præter hæc inquam videtur verborum ipſorum ſenſum magis genuinum eſſe, Philadelphum Legem Judaicam Græcorum auribus tradendam curaviſſe, poſtquam annos in regno tranſegerat triginta novem, & illa ad hunc modum eſſe interpretanda: *Philadelphus poſtea, regno Ægypti aſſumpto & annis undequadraginta adminiſtrato, Legem in Græcam linguam tranſferri curavit.* Veruntamen hæc de Joſepho monuerim tantùm literatos, non citò affirmârim. Committere tamen non poſſum, quin proponam obſervandum, à Joſepho nullum Philadelphi poſt confectam Verſionem geſtum memorari, nullam favoris ejus in Judæos inſtantiam celebrari; cùm tamen arduum eſt cogitatu quòd Philàdelphus multa alia beneficia apud Judæos poſt contractam tantam amicitiam non poſuerit, ſi negotium Verſionis non ſuſceptum fuiſſet brevi ſpatio ante exitum illius regni. Ex poſitis autem omnibus (niſi plurimùm fallor)

fallor) clarum est Philadelphum Bibliothecæ construendæ sese intendisse postquam multos in regno annos superaverat, & (quantum ego existimare possum) vergente ad exitum ipsius regno. Unde conficitur Aristeam vel in negotio Versionis probè ac vehementer erravisse, vel (quod suprà probavimus aliunde) voluisse versionem Bibliothecæ adornandæ gratiâ absolutam fuisse diutissimè post initium regni Philadelphi.

21. Illud autem tacitus præterire non possum, quòd (a) Salianus, & post illum (b) Ricciolius scribunt, colligi posse ex Epistolâ Regis, quæ recitatur in Aristæâ & Josepho, horum esse sententiam Translationem fuisse elucubratam (c) initio regni Philadelphi. Huic quidem opinioni favere videtur Latina Matthiæ Palmerii Versio Aristeæ, quæ extat in Bignei Bibliothecâ Patrum, quæ sic se habet: *Nos ubi regni gubernacula cepimus, benignitate erga omnes, tum maximè erga cives tuos affecti, eorum supra centum millia libertate donavimus.* Græca verò sic concipiuntur: Καὶ ἡμεῖς ἧ παραλεζόντες τὴν βασιλείαν, φιλανθρωπότερον ἀπαντῶμεν τοῖς πᾶσι, πολὺ ἧ μᾶλλον τοῖς σοῖς πολίταις,

(a) *Annal. ad an. M. 3775. p. 361.*
(b) *Chronolog. to. 1. p. 140.*
(c) Ricciolius *confert versionem ad an. 1. vel 2. ante mortem* Ptol. Lagi, *Salianus ad an. VIIum. post mortem ejus desinentem, vel* VIIIum. *inchoatum.*

ὧν ὑπὲρ δέκα μυριάδας αἰχμαλώτους ἠλευθερώκαμεν. Quæ in hunc modum vertenda sunt. *Nos verò consecuti regni administrationem, cùm aliis omnibus exhibemus nos humaniores, tum verò præcipuè civibus tuis, quorum supra* &c. Et illis non indicatur Regem statim ab assumptâ regni administratione à cervicibus captivorum Judæorum servile jugum excussisse; sed significatur, Philadelphum *consuevisse* Judæis aliisque omnibus plurimùm humanitatis impertire. Josephus legit, Τὴν δ' ἀρχὴν ἐγὼ παραλαβὼν, πᾶσι μὲν φιλανθρώπως ἐχρησάμην, μάλιστα δὲ τοῖς σοῖς πολίταις, ὧν &c. *Ego verò, devoluto ad me principatu, in omnes benignitate usus sum, maximè verò in cives tuos. Quorum* &c.

22. Ex discussis clarissimè demonstratur Authorem Historiæ LXX. Interpretum voluisse Græcam Versionem elaboratam fuisse longo post spatio quàm Ptolemæus Philadelphus gubernacula regni capesseret; & Demetrium Phalereum Regiam bibliothecam tunc temporis tractavisse. Unde, cùm suprà demonstratum fuerit Demetrium Phal. occubuisse statim ab initio regni Philadelphi, firmissimè astruitur Historiam istam non fuisse con-

conſcriptam ab Ariſteâ uno ex Philadelphi Proceribus, verùm confictam fuiſſe ab ignaro aliquo homine; ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

## CAP. VIII.

*Dubitatur an* Eleazarus *Pontifex* Judæorum *fuerit quo tempore* Bibliotheca Alexandrina *à* Ptol. Philadelpho *inſtituta fuit.* §. 1.

*Argumentum aliud contra* Hiſtoriam Ariſteæ, *exinde petitum, quòd, quamvis doceat interpretationem Scripturæ plurimis annis poſt initium regni* Philadelphi *ornatam fuiſſe; prodat tamen* Menedemum Eretrienſem *trãſlatæ Scripturæ tempore in* Ægypto *fuiſſe. Quem* Ptolemæo Lagi *ſupervixiſſe non plus ſeptennio, demonſtratur. Quæritur de ætate* Menedemi; *quo tempore natus fuerit, quo mortuus.* Joſ. Scaliger *malè putat illum obiiſſe diu antequam* Philadelphus *aſſumeret regnum.* §. 3. *Juxta* Heraclidem *ſequitur illum ceſſiſſe vitâ ante* Philadelphi *regnum*

*regnum. Illum fuisse discipulum* Platonis. *Quo quo anno obierit.* Saidi Batricidæ *delirium. Illorum error, qui* 73. *duntaxat annos* Menedemi *vitæ constituunt.* §. 4. *Agnoscitur illum plures annos vixisse, quam qui ab* Heraclide *definiuntur, & perduxisse vitam usque ad id temporis, quo* Antigonus Gonatas Gallos *in prælio profligavit. Qua victoria quo anno contigerit.* D. Laertius *emendatus.* Menedemum *vixisse annis* 94. *Probabile esse illum nunquam fuisse in* Ægypto, *regnante* Philadelpho. §. 6.

(d) *Antiq. l.* 12. *c.* 2.
(e) *Præp. Ev. l.* 8. *c.* 2.
(f) *De Civ. Dei l.* 18. *c.* 42. *&* 43.
(g) *De Fide Catechesi* 5 *p.* 79.
(h) *Chronico.*
(i) *Comment. ad c.* 1. Sophoniæ.
(k) *Chronographiâ.*
(l) *Chronico*
(m) *Chronog. p.* 273.
(n) *Annal. to.* 1. *p.* 142.

ARisteas, & sequaces ejus (d) Josephus, (e) Eusebius, (f) S. Augustinus, (g) Cyrillus Hierosolymitanus, (h) Isidorus Hispalensis, (i) Theodorus Antiochenus, (k) Nicephorus Patriarcha, (l) Ado Viennensis, (m) G. Syncellus, (n) Joh. Zonaras, aliique, Versionem Græcam perhibent confectam Eleazaro Pontificatum Judæorum maximum gerente; quod, juxta rationes Eusebianas, (qui annum ultimum Eleazari Pontificis connectit cum *trigesimo* regni Philadelphi, sive *nono* ante mortem ejus, & *secundo* Olympiadis *CXXXIe,*) fieri non potuit, si Philadelphus

delphus inceperit Bibliothecam ſuam inſtaurare Olympiade *CXXXIIdâ*, quod Georgius Syncellus aſſerit, quodque confirmatur Galeni teſtimonio. Ex quo conficitur non modò Philadelphum in augendâ Bibliothecâ totum fuiſſe quando moreretur, verùm etiam illum annis ante mortem pauciſſimis ad illius inſtructionem ſeſe contuliſſe: quandoquidem veriſimillimum eſt illum ſtatim ferè à ſuſcepto Bibliothecæ conſtruendæ negotio Athenas miſiſſe qui libros emerent, utpote civitatem librorum in primis cultricem & literarum ſtudioſorumq; Virorem nutricem totius terrarum orbis fœcundiſſimam: Quâ tamen de urbe illum libros acciviſſe non niſi breviſſimo ante mortem ſuam tempore, probabile reddidi per prædictam Galeni fidem. Quâ quoque comprobatum eſt Euripidis, Sophoclis, Æſchylique, illuſtriſſimorum illorum Poetarum, libros non fuiſſe repoſitos in Alexandrinâ Bibliothecâ niſi ſub mortem Philadelphi vel poſtea; & perquam alienum eſt ab omni veritatis ſpecie Authores celeberrimos, & Poetas in tantâ admiratione apud omnes habitos, non conquiſitos fuiſſe cùm primùm Bibliothecam tanto cum cona-

conamine Philadelphus adornare cœperit. Quibus omnibus adjunxi Joſephi Authoritatem, quem oſtendi videri retuliſſe verſionem Græcam ad annum Philadelphi ultimum, atque hoc feciſſe, quia Scripturæ dicuntur tranſlatæ paulo poſtquam Philadelphus Bibliothecam aggreſſus fuerit. Quòd enim Eleazarus e vivis abierit diu ante annum ultimum Philadelphi, id minimè impedit quo minùs Joſephus Verſionem ſub finem regni Philadelphi, & tamen ſub Eleazaro, elaboratam crederet: etenim hoc opinari potuit, cùm non perpenderit quo tempore Eleazarus extinctus fuit; quia didicerat ab Ariſteâ, verſionem confectam fuiſſe ſub Eleazaro gratiâ Bibliothecæ Philadelphicæ; ab aliis, Bibliothecam illam non fuiſſe conſtructam antequam regnum Philadelphi exiturum fuit. Neque illi hac in re hallucinari minùs in procliyi fuit, quàm G. Syncello, qui verſionem conjicit (ſecundùm aliqua ſaltem exemplaria) *ad Pontificatum Eleazari & Olympiadem CXXXIIdam*, vel aliis recentiorum, *viz.* Rabbi Ganz, Cornelio à Lapide, Gregorio de Valentiâ, Galatino, & Driedoni; (°) quorum primus Verſionem

(o) *Vide notas p.* 130.

nem prodit absolutam *sub Pontifice Eleazaro, XXXImo anno Ptol. Philadelphi*, id est, *octavo* ante mortem ejus; reliqui illam rejiciunt ad annum Philadelphi circitèr *XXXVum*, & tamen illam ad *Eleazari Pontificatum* conferunt, minimè considerantes rationem temporum non congruere. Et sanè facile ad fidem esse possit talem incogitantiam Aristeam ipsum in fraudem adduxisse: Legem enim Mosaicam in Græcam linguam, Eleazaro Pontifice, conversam fuisse libenter concesserim; & probabile videtur Regem Philadelphum, (quem in magno negotio habuisse obligare semper Civitates exteras, & largitiones magnas aliquando fecisse, apud alios Scriptores legimus) legationem honorificam instituisse ad Eleazarum Sacerdotem Maximum, eique misisse munera & donaria in usum & ornatum Templi Hierosolymitani consecranda, qualia Aristæas celebrat & describit, vel quæ ansam illi præbuerunt mentiendi illa quæ commemorat. Videatur itaque illum, cùm Legem Mosaicam, Philadelpho Rege, & Eleazaro Judæorum Pontifice, in Ægypto translatam fuisse,

atque inſuper Regem tempore Eleazari ampliſſimis donis magnificè ornaviſſe Templum Judæorum, compertum habuiſſet, inde arripuiſſe occaſionem fingendi Philadelphum curaviſſe Legem Judaicam Bibliothecæ ſuæ causà tranſferri, & munera illa Judæis elargitum fuiſſe illius obtinendæ gratiâ; non perpenſo Eleazarum ex humanis antè demigrâſſe quàm Philadelphus Bibliothecam ſuam inſtauraret. Equidem facilè crediderim Ariſteam eam ob cauſam commentum fuiſſe hiſtoriam ſuam de Interpretatione: non tamen æquè facilè aſſeruerim Bibliothecam non inceptam fuiſſe à Philadelpho ante obitum Eleazari, quod tamen aſtrui videtur argumentis ſuprà productis: Quæ quidem ſi docti viri approbaverint, aſtipulantem me habebunt; ſin minùs, adverſarium me in illos non intendam.

2. Satis habeo probâſſe Bibliothecam à Philadelpho non inſtructam fuiſſe ante poſteriorem partem illius regni, vel ſaltem non antequam annos in regno plurimos emenſus fuerat; & demonſtrâſſe Ariſteam docere Verſionem fuiſſe confectam declinante ad finem Philadelphi regno, vel plurimis annis poſtquam reg-

regnum inierat. Hinc enim conficitur illum graviſſimè à verâ temporum ratione aberrare, in eo, quòd ſcribit Menedemum Eretrienſem Philoſophum Verſionis celebritati in Ægypto adfuiſſe, quem comprobari poſſit animam egiſſe paucis annis poſt initium Philadelphi.

3. Euſebius ſupputat Menedemum unà cum Speuſippo floruiſſe anno *I.* Olymp. *CXVI^e*, qui trigeſimus ſecundus fuit ante mortem Ptolemæi Lagi. Joſephus * Scaliger ad ſuperiora tempora illum revocat, & Euſebium metachroniſmi inſimulat, eo fretus argumento, quòd Menedemus Platonem audiverit: quapropter exiſtimat illum ad prædictum annum non perveniſſe. Cæterùm Menedemum non ſolum ad illam Olympiadem vitam produxiſſe, verùm etiam illam longè ſuperâſſe, fateor atque etiam profiteor.

* *Videtur* Scaliger *non obſervâſſe mentionem de* Menedemo *fieri apud* Ariſteam.

4. Heraclides apud D. Laertium, ſcribit illum vixiſſe annis *LXXXIV.* & Laertius teſtis eſt illum maturiore ætate Platonem habuiſſe magiſtrum. *Menedemus cuſtos ab Eretriatibus Megara miſſus, in Academiam ad Platonem conceſſit, eoque captus, militiam deſeruit.* Eadem legere eſt apud Heſychium

Mileſium. Et (p) Plutarchus docet *Platonem de Sociis ſuis miſiſſe, Arcadibus Ariſtonymum reipublicæ conſtituendæ cauſâ; Eleis Phormionem; Pyrrhæis Menedemum.* Atque id quidem cauſæ fuit, cur S. (q) Cyrillus (obſervante doctiſ. Menagio) Menedemum vocat *Pyrrhæum*; qui & ipſe appellat illum Platonis diſcipulum. Ex quibus conſpicuum eſt Menedemum non modò in diſciplinam Platoni traditum fuiſſe, ſed & aliquot annos poſt relictos ephebos peregiſſe antequam ad pertractandam Philoſophiam ſe Platoni dederit. Nam aliter Cives ejus vix, aut nullo modo, dignati fuiſſent illum publico in militiâ munere. Apud Platonem quot annos egerit, in incerto ponitur; illum tamen annos minus viginti circitèr & quatuor non habuiſſe quo tempore Plato obiit, colligitur inde quòd miſsus fuerit ad rempublicam Pyrrhæis conſtituendam; quæ ſanè provincia videretur & majorem ætatem requiſiſſe. Jamverò Platonis obitum contigiſſe anno *I* Olymp. *CVIII^a* Hermippus tradit apud Laertium, quo authore ſtandum eſſe (licèt Euſebius illum deduxerit ad annum ejus Olympiadis quartum) clarè convincunt in eun-

(p) *Lib. adverſus* Coloten.

(q) *Lib. 6. contra* Julianum.

undem annum consentientes, (r) Plutarchus, (s) Athenæus, (t) Dionysiusque Halicarnasseus, ac alii. Arabicum enim delirium illud est, quod (u) Said Ebn Batric refert de Platone tanquam post decessum Alexandri Magni superstite. Posito itaque Menedemum explêsse annos circitèr *XXIV* quum Plato vitâ concederet, conficietur juxta numerum illius vitæ ab Heraclide assignatum, illum è vitâ cessisse Olympiadis *CXXIIIe* anno primo exituro; à quo si ad primum usque annum Olympiadis *CVIIIe* retrò legas tempora, anni confient sexaginta: Et hisce si accumules illos *XXIV* annos, quos ante Platonis obitum Menedemus natus fuerit, exurget numerus annorum *LXXXIV*. Juxta quam rationem consequitur Menedemum decessisse anno uno, vel altero, antequam Philadelphus in regni societatem à patre suo admissus fuerit; quod contigit (x) anno tertio Olympiadis *CXXIIIe*. (y) Conradus Gesnerus, (z) Carolus Stephanus, (a) Joh. Baptista Ricciolius, aliique recentiorum, dicunt Menedemum obiisse anno vitæ suæ *LXXIIItio*; quos miror quid usqueadeò habuerit frustrà. Ricciolius, & alii Laertium ipsum

(r) *De* 10. Rhet. *cap.* 8.
(s) *L.* 5. *c.* 18.
(t) *Epist. ad* Ammæum *p.* 121.
(u) *Annal. Alexandrini p.* 288.
(x) *Vide* Syntag. de Ptol. *cap.* 10. *&* 12.
(y) *Onomastico.*
(z) *Dictionario Histor.*
(a) *Chronologiâ Reformatâ to.* 1. *p.* 141.

ipſum allegant teſtem: quem tamen aſſirmo, ſecundùm omnes editiones quas viderim, Menedemo ex Heraclide (b) aſſignare annos non *LXXIII*, ſed *LXXXIV*.

(b) Menedemi *Vitâ p.69.edit.* Menagii.

5. Nemini non liquet quantâ probabilitatis ſpecie firmetur argumentum iſtud. Fatendum tamen eſt, quòd animum non ſic induxerim, ut credam illum annorum numerum verè inſtitui, qui Menedemi vitæ definitur ab Heraclide. Authores enim graviſſimi luculentum dicunt teſtimonium, illum ſuperſtitem fuiſſe ad illud uſque tempus, quo Antigonus Gonatas, Demetrii Poliorcetis filius, Rex Macedoniæ, Gallos in prælio fudit. Quod quidem contigit aliquanto annorum intervallo poſtquam Philadelphus ſumpſerat Ægypti regnum: ſpatio tamen non tanto, quin compareat Menedemum expiraſſe intra novennium illius regni. Apud Laertium ſcribitur Menedemum à prædicto Antigono in deliciis habitum fuiſſe, & de eo, cùm Barbaros (id eſt, Gallos) circa Lyſimachiam profligaſſet, pſephiſma feciſſe, cujus initium tale: *Imperatores & Senatores dixerunt, Quoniam Antigonus Rex, Barbaris prælio victis, in regionem propriam rever-*

*revertitur, cæteraque omnia agit ex sententiâ, visum est senatui populoque.* Gallorum hæc strages quo anno facta fuerit colligitur è Justino, qui, narrato ut Galli sub Brenno in expeditione contra Delphos attriti fuerint deletique, (c) addit: *Inter duos reges Antigonum & Antiochum statutâ pace, cùm in Macedoniam Antigonus reverteretur, novus eidem repente hostis exortus est. Quippe Galli, qui à Brenno duce, cùm in Græciam proficiscerentur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt, fugatisque Getarum Triballorumque copiis, Macedoniæ imminentes, legatos ad Regem miserunt, qui pacem ei venalem offerrent, simul & Regis castra specularentur* &c. A Gallis autem in Oraculum Delphicum invasum est *anno II. Olymp. CXXV^a* (ut (d) Pausanias diserte verbis attestatur) idque, anno Olympiadico medio, sive tempore hyemali: ut hinc patet, quòd tenentes obsessum Oraculum, *acerrimum frigus (e) cum nive plurimâ vehementer afflixerit.* Itaque cùm tantillo pòst tempore Gallorum irruptio in Macedoniam, cladesque per Antigoni copias, acciderit, pro-

(c) *L.* 25. *c.* 1.

(d) Phocicis *p.* 304.

(e) Pausan. *ibid. p.* 339. Justinus *l.* 24. *c.* 8.

probatur hæc conferenda in annum eundem exiturum, ſive in proximum quaſi incipientem. Atque huic quidem calculum ſuum adjicit Pauſanias, dicens *Gallos proximo anno poſt Bremi cladem, Democle Athenis Archonte, aliâ* ſe expeditione in Græcos immiſiſſe, & eodem anno *in Aſiam trajeciſſe.* Menedemus autem vitam finivit ſtatim ferè poſt victos ab Antigono Gallos: Hermippus enim, Heraclides, & Antigonus Caryſtius apud Laertium, ſuffragante Heſychio Mileſio, ſcribunt illum, ob prædictum pſephiſma in ſuſpicionem prodendæ ei civitatis adductum, ad Antigonum ventitâſſe, & apud eum brevi tempore præ triſtitiâ, vel nullo cibo per ſeptem dies ſumpto, vitam cum morte commutâſſe. Atque hinc apparet Menedemum mortuum eſſe anno *III.* Olymp. *CXXV^e.* qui connectitur cum ſeptimo defuncti Ptolemæi Lagi, & nono regni Philadelphi. Fuit autem hic annus ſeptuageſimus à Platonis obitu, hoc eſt, à primo anno Olympiadis *CVIII^e*; ut dato Menedemum, Platone moriente, compleviſſe quatuor annos poſt viceſimum, colligantur anni vitæ ejus nonaginta quatuor, non octoginta quatuor, ut ex Heraclide

Laer-

Laertius habet; apud quem, si placeat Criticorum Filiis, pro, ὀγδοηκοστὸν, substituendum putem ἐννενηκοστὸν.

6. Ex positis probatur crimen confictæ historiæ intentatum Aristeæ, qui vult Menedemum Scripturis Græcè redditis interfuisse, & tamen nonvult illas conversas fuisse nisi decursâ regni Philadelphi parte tantâ, ut Menedemus tunc temporis in Ægypto esse non potuerit. Et sanè, si rem diligenter æstimemus, vix videbitur probabile, illum in Ægypto unquam fuisse post initium regni Philadelphi. Illum quidem ad Ptolemæum (Ægypti Regem, non Macedoniæ, quod putavit Aldobrandinus) sicut etiam ad Lysimachum, & Demetrium Poliorcetem, legati nomine missum fuisse, & ubique honore affectum, Laertius mandavit historiæ. Cæterùm ab illo designari Ptolemæum, non Philadelphum, sed hujus Patrem, apertissimum est ex verbis: *Legatus ad Ptolemæum & Lysimachum missus est, ubique honore affectus: sed ad Demetrium quoque, cui quidem cùm ducenta talenta singulis annis civitas persolveret, quinquaginta abstulit: apud quem eo nomine accusatus, quòd Ptolemæo civitatem traditurus esset, epistolâ*

*ſe defendit.* Quibus conſtat Ptolemæum eundem in utroque loco denotari: atqui in poſteriore Ptolemæum Lagi ſignificari, non Philadelphum, manifeſtum eſt; quippe quòd, Demetrio regnum ſuum poſſidente, Philadelphus nondum adierat Ægypti regnum. Quinetiam per ordinem narrationis oſtenditur Menedemum ad Ptolemæum primùm legati munere functum fuiſſe, poſtea temporis ad Lyſimachum, deinde ad Demetrium. Unde illum legationem illam ad Ptolemæum ſuſcepiſſe diu antequam Philadelphus Ægypti ſolio potiretur luculentum eſt; cùm Demetrius (f) ante Philadelphi regnum Macedoniæ dominatu à Lyſimacho exutus fuerit, & coactus in Aſiam fugere; ubi à Seleuco in prælio fractus, deditione ſui factâ, in cuſtodiâ demum expiravit. Nec dici probabiliter poſſit, Menedemum poſtea ad Philadelphum quoque conceſſiſſe. Nem enim tanti in illius hiſtoriâ momenti ſilentio & oblivioni procul dubiò non tradidiſſent Diogenes Laertius, & Scriptores illi, quorum ex operibus ille ſuam Menedemi vitam compoſuit, putà Euphantus, Hermippus, Heraclides, & Antigonus Caryſtius, (g) qui ſupremis Philadelphi temporibus

(f) *Vide* Syntagma de Ptol. c. 11.

(g) *Teſte Athenæo l.* 10.

bus ſcripſit Menedemi vitam; præſertim verò cùm aliarum ejus peregrinationum memoriam curaverint tradendam poſteris. Ad hoc tantũ Authorum ſilentium accedit ipſum rationis firmamentum: ne tenuiſſimo enim probabilitatis velamento conveſtita res eſt, Menedemum poſtquam annum ætatis numeravit octogeſimum, profectione tam periculoſâ ad gentem tam procul diſſitam inîſſe; & quis credat illum octogenario jam multò majorem

Αἰγυπτονδ' ἰέναι, δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε.

*In Ægyptum iviſſe, iter longum & difficile*

(h) Odyſ. *l.* 4. *v.* 483.

Ut (h) Homerus canit. Denique, ut verbo dicam, meridie ipſo clarius mihi videtur, Ariſteam de Menedemo, tanquam agente in Ægypto ſub Ptolemæo Philadelpho, ex eâ cauſâ mentitum eſſe, quòd cùm legiſſet illum verſatum fuiſſe apud Ptolemæum, malè cogitaret Ptolemæum illum fuiſſe Philadelphum: eodem planè modo, quo Demetrium Phalereum, qui apud Ptolemæum Lagi, non Philadelphum, commorabatur, in tempora Philadelphi contulit.

## *CAP.* IX.

Non eſſe veriſimile (quod ſcribit Ariſteas) Demetrium Phalereum fuiſſe Ptolemæi Regis Bibliothecarium.

*Illum fuiſſe* Principem, *&* Legiſlatorem *omnium ſui temporis ſapientiſſimum.* §. 1. *Malè dici* Grammaticum *à* Tertulliano. *Solenne fuiſſe maximis* Philoſophis *in re* Grammaticâ *ſe nonnunquam exercere.* 2. Philoſophos *fuiſſe aliquando cuſtodes* Bibliothecarum *: illud tamen officium fuiſſe indignum* Demetrio Phalereo. 3. *Diluitur Reſponſio cl.* D. Iſ. Voſſii. *Probatur* Demetrium Phalereum *ſummo in honore habitum fuiſſe apud* Ptolemæum Lagi. 4. *Per varias inſtantias demonſtratur in uſu Antiquorum poſitum fuiſſe literatos homines humilioris ſortis præficere* Bibliothecis *ſuis.* 5. *Cauſa per quam deceptus fuit Ariſteas.* Ptolemæum Lagi Bibliothecam Alexandrinam *inſtituiſſe.* 6. *Unde*

*de erroris arguuntur Sequaces* Aristeæ, *qui* Ptol. Philadelphum *statuunt primum ejus conditorem.* 7.

JOh.* Wowerius argumentum contra Librum Aristeæ hinc struit, quòd Demetrium Phalereum facit Bibliothecarium: qualē quidem illum fuisse īmprobabile admodū esse haud ægrè fatebuntur eruditi Viri, si perpenderint Demetrium Phal. fuisse Principem, & Legislatorem omnium sui temporis illustrissimum, omniumque Regum existimatione ornatissimum. Per solidum decennium principatu nobilissimæ civitatis Athenarum inclaruerat, dictus à Diodoro Siculo Urbis Ἐπιμελητὴς *Curator*, à Suidâ *Demagogus*, à (i) Phædro *Tyrannus*, id est, *Princeps*, sive *tantùm non Rex*. Et non minus quàm mille & ducenta talenta ex annuo reditu accepit, testante (k) Duride. Imperator Antoninus illum rejicit in eandem classem cum Philippo Rege Macedoniæ, & Alexandro Magno: (l) Τὸν γε νῦν καὶ Αλέξανδρον, καὶ Φίλιππον, καὶ Δημήτριον τὸν Φαληρέα μοι λέγε. Georgius (m) Syncellus illum vocat ἄνδρα παρ' Ἕλλησι σπουδαῖον *Virum apud* (n) *Græcos studiosissimum* sive *gravissimum*, & πάν-

*De Bibl. Interp. c.* 3.

(i) *Fabularum l.* 5. *Fab.* 1.
(k) *Apud* Athenæum *l.* 12. *p.* 268.
(l) *De seipso l.* 9. *c.* 24.
(m) *Chronog. p.* 273.
(n) *Non, ut* Goarius *vertit*, Græcorum Literarum stud.

πᾶν

τον τομοθέτλυ Αθηναῖον *Tertium Legiſlatorem Athenienſium.* (o) Tullius de eo hoc elogium habet, *Fuit hic Vir, ut ſcitis, non ſolùm eruditiſſimus, ſed etiam è republicâ maximè, tuendæque civitatis peritiſſimus.* Et alio in loco (p) à nobis olim citato, *Video* inquit *Demetrium ex repub. Athenis quam optimè digeſſerat, & ex doctrinâ nobilem ac clarum, qui Phalereus vocitatus eſt.* Ælianus (q) dicit quòd ἐπολιτεύσατο ἐπολιτεύσατο, *laudatiſſimè gubernavit Rempublicam.* Et, (ut (r) Strabo teſtis eſt) non defuerunt qui affirmarent nunquam meliùs fuiſſe gubernatam Athenienſium Remp. atque eo tempore quo Demetrius præfuit. Pauſanias (s) illum appellat τὸ σφὸς δόξαν ἐπιφανέστατον σοφίαν, *hominem ſapientiæ laude præſtantiſſimum.* (t) Plutarchus affirmat ipſos illius hoſtes ſuſpexiſſe illum & admiratos fuiſſe, & Regem Demetrium Poliorcetem τὴν τοῦ δόξαν αἰδεῖσθαι τὴν τοῦ ἀρετοῦ τοῦ ἀνδρὸς, *dignitatem ejus & virtutem veneratione proſecutum fuiſſe.* Denique tanto cum honore remp. adminiſtravit, & apud Athenienſes tam λαμπρὸς fuit (quod Laertius dicit,) ut *imaginibus æneis trecentis & ſexaginta ab illis honeſtatus fuerit, quarum pleraq; equeſtres*

(o) *Lib. 2. de Legibus.*

(p) *Orat pro C. Rabirio Poſthumo.*

(q) *Var. Hiſt. l. 3. c. 17.*

(r) *Geogr. l. 9. p. 274.*

(s) *Atticis p. 23.*

(t) *Vitâ Demetrii Poliorc. p. 892.*

*equeſtres erant, & in curribus bigiſque collocatæ, quæ ne trecentis quidem ipſis diebus perfectæ ſunt.* Et tantus Vir fuit, ut non ſolùm Laertius & Hermippus illius Vitam, inter aliorum Philoſophorum, ſcripſerint; verùm etiam integrum de eo librum Aſclepiades, Arei Filius, edolârit, quem citat (u) Athenæus.

2. Quod (x) Tertullianus, quo in loco refert Demetrium Phal. Bibliothecæ præfectum fuiſſe, vocitârit illum *Grammaticorum probatiſſimum*, quaſi Grammatices tantùm Profeſſor eſſet, exinde fuit, quòd antiquis, cùm Græcis, tũ Romanis, ſolenne fuerit Bibliothecarum curam demandare Grammaticis, vel viris rei Grammaticæ peritis. Niſi forſan hinc deceptus fuerit, quòd alii eſſent Demetrii qui Arte Grammaticâ claruerunt, nempe unus Adramyttenus, alter Cyrenæus, tertius Erythræus, & alius Scepſius, qui fuit *Vir dives, nobilis, & valdè philologus*, (y) Laertio laudante, & *Grammatici* cognomen habuit, ut (z) Strabo author eſt. Nomen autem Grammatici eſſe prorſus indignum Demetrio, quæ ſuperiùs attuli abundè probant; quibus adjungi poſſit authoritas (a) S. Hieronymi, *Demetrius Phalereus idem apud Græcos Orator & Philoſophus.*

(u) *Lib.* 13. *p.* 567.

(x) *Apolog. c.* 18.

(y) *Vitâ* Demetrii Phal.

(z) *L.* 13 *p.* 419.

(a) *Comment. in Dan. c.* 11. *p.* 521.

Et

Et Tullius, qui in duobus locis ſuprà citatis de illo loquitur tanquam Politico, in tertio (b) loco honorat illum Oratoris nomine, nuſquam locorum Grammatici vocabulo illum dehoneſtat: *Demetrius Phalereus diſputator ſubtilis, Orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere.* Idem confirmant libri ab ipſo editi, qui plurimi Philoſophica, Politica, Hiſtorica (non Grammatica) tractârunt argumenta: quorum Laertius Catalogum exhibet, dicens illum *omnes ferè ſui ſeculi Peripateticos* (non dicit, Grammaticos) *librorum & verſuum numero ſuperâſſe.* Inficias tamen non iverim Demetrium noſtrum, à ſtudiis Philoſophicis & Politicis feriatum, aliquando luſiſſe rebus à Grammaticâ non prorſus alienis; cujuſmodi fuiſſe videntur illi duo libri *de Iliade*, & quatuor alii *de Odyſſeâ*, & alter *Homericus* titulo appellatus, † quos recenſet Laertius inter multos Philoſophicos & Politicos illius libros. Cæterùm ſi propterea illum pro *Grammatico* habuerit Tertullianus, pari jure potuiſſet eodem nomine afficere ipſum Julium Cæſarem, qui librum condidit *de* vocum *Analogiâ*, (c) Suetonio & (d) Chariſio teſtibus; alioſque maximos

(b) *De Officiis l. 1.*

† *His libris ſubciſivas horas impendit* Demetrius, *in deliciis* Homerum *habens, velut docet* Athenæus *l. 14. c. 3. ubi refert illum primum* Homeriſtas *in Theatrum produxiſſe.*

(c) *Vitâ ejus cap. 56.*

(d) *Inſtitutionum Grammaticalium lib. 1.*

imos Philoſophos, quorum in moribus fuit ejuſmodi rebus (ſicut amatoriis) mentes ſuas reficere majorum contemplatione laſſas & defeſſas, veluti diſcimus ex Laertianis ipſorum Vitis. Exemplis ſunt (c) *Crito Athenienſis*, (f) *Simon Athenienſis*, (g) *Simmias Thebanus*, Socratici; inter Peripateticos, (h) *Heraclides Heracleotes*, & (i) *Theophraſtus*, quem Laertius docet non ſolùm *Philoſophum* fuiſſe, ſed & *Philologum*; inter Cynicos (k) *Menippus*, & (l) *Antiſthenes* Pater Cynicorum; (m) *Cleanthes*, & (n) *Chryſippus*, Stoici: Quibus addendus (o) *Democritus*; & (p) *Plato* ipſe, quem Phavorinus apud Laertium refert *primum inſpexiſſe vim Grammatices*; atque etiam (q) *Ariſtoteles*, à quo (r) (Dione Chryſoſtomo authore) *opinio fuit Artem Criticam & Grammaticam cepiſſe initium.* Quibus exemplis conſpicuum redditur Demetrium Phal. non idcirco in albo Gram-

(c) *Scripſit Dialogum de* Literis, *& alium de* Poeticâ.
(f) *Dialogum de* Poeſi.
(g) *Dialogum de* Poeſi, *& alium de* Catminibus.
(h) *Libros* 2. *de* Homeri Heſiodique ætate; 2 *de* Archilocho & Homero; 3. de his quæ apud Euripidem & Sophoclem; 2. Solutionum Homericarum; 1. *de* Poeticâ & Poetis.
(i) *Lib.* 1. *de* Hiſtoriâ; 1. *de* Dictione; 1. *de*

Metris; 1. *de* Poeticâ; 1. *de* Solœciſmo. (k) *Epiſtolam ad* Grammaticos. (l) *De* Odyſſeâ *&c.* (m) *De* Poetâ. (n) *Lib.* 1. *de* Sermonibus Solœciſmo laborantibus; & 1 contra Criticos. (o) *De* Homero *ſive* de emendatâ locutione & linguis; Onomaſticon; & *De* Verbis. (p) *In Cratylo ſcribit de* rectâ Nominum ratione, & agit Etymologum. (q) *Scripſit* 6. *libros* Quæſtionum Homericarum; 1. *De* Poeticâ; 1. *De* Tragœdiis &c. (r) *Orat.* 53. *quæ eſt de* Homero.

maticorum numerandum, vel minoris putandum eſſe, quòd de Homero quædam, vel alia ſimilia, commentatus fuerit; cùm tanti Philoſophi,& maximus Cæſar ad argumenta talia deſcendere non fuerint dedignati. Quibus addi liceat Ptolemæum Euergetem,ejus nominis ſecundum, Ægypti Regem, iſtiuſmodi rerum tam doctum fuiſſe, ut *Philologi* agnomen illi hæſerit.

3. Non ſum in opinione Wowerii, qui videtur credidiſſe munus Bibliothecarii indignum fuiſſe Pholoſophorum nomine. Quippe legimus de Athenodoro, *Philoſopho* (ſ) *Stoico*, Bibliothecæ Pergamenæ præfecto; & de (t) Euphorione *Philoſopho* & Poetâ, cuſtode Bibliothecæ Antiochi Magni, Regis Syriæ. Eratoſthenes quoque, Alexandrinæ præſes, non ſolùm in Grammaticis verùm etiam Philoſophicis florebat ſtudiis: ita Dionyſius Alexandrinus, cui Bibliothecarum cura demandata eſt,quamvis profeſſione Grammaticus fuerit, videtur tamen tenuiſſe quoque locum Philoſophi; dicitur enim à Suidâ fuiſſe *diſcipulus Chæremonis Philoſophi, & illi ſucceſſiſſe.* Neque ſanè rationis quicquam fuit cur Grammaticorum potiùs curæ, quàm Pholoſopho-

(ſ) D. Laert. Vitâ Zenonis, p. 172.
(t) Suidas.

ſophorum, Bibliothecæ committerentur, præterquàm quòd Philoſophi rerum magis contemplationi, quàm libris, addicti fuerint: adeò ut nihil repugnat quo minùs Philoſophi Bibliothecarum præfecti conſtituerentur, qui in contemplandis rebus perſpiciendiſque non poſuerunt ſe totos, ſed in veteribus quoque ſcriptis multùm & ſtudioſè verſati fuerunt. Atque ideo non negaverim Demetrio noſtro Phalereo licuiſſe per ipſius eruditionem ſuſcipere officium Bibliothecarii. Quod quidem præſtare illum ſatis commodè potuiſſe liquet, quandoquidem Cicero atteſtatur illum non modò rei Politicæ prudentiſſimum, & Oratoriæ peritiſſimum fuiſſe, verùm etiam *eruditiſſimum*; & Laertius illum vocat non modò πολύμαθον *ut alium quemvis*, ſed etiam ἰυπαίδευτον. Veruntamen non polleo tantâ credulitate, ut perſuaderi mihi patiar illum, qui illuſtriſſimus *Legiſlator* fuerat & magnus *Princeps*, dedecoratum fuiſſe in Ægypto tali munere, quod hominibus quibuſvis vel infimæ ſortis, qui doctiores fuerint, ſolitum eſt delegari. Neque enim veriſimile eſt Regem Ptolemæum tam indignè habiturum fuiſſe Principem ſupplicem, neque ipſum

fuiſſe accepturum officium tam indignum ſe, ſi oblatum fuiſſet.

(u) *De LXX. Interp. c. 4. p. 10.*

4. Quod reſpondet cl. (u) D. If. Voſſius, *minùs hoc mirandum eſſe, quàm quòd Dionyſius Tyrannus regno privatus literas pueros docuerit*, nullius eſt momenti: Dionyſius enim Tyrannus magno fuit in odio apud omnes, & exutus regno neceſſe habuit docendo pueros victum quæritare; cùm è contrà conſtet Demetrium Phalereum, poſtquam à principatu ſuo relegatus fuerat, in Ægypto opibus honoreque maximo floruiſſe, à ſanctioribus Conſiliis fuiſſe Regi Ptolemæo Lagi, (apud quem illum præfecti Bibliothecæ munus obiviſſe ſtatuit doctiſſimus Vir,) & ferendis ibi Legibus præfuiſſe, imo ſecundum in regno locum tenuiſſe. Quâ de re audi ſis (x) Ælianum: Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν Ἀθήναις ἐπφανέστατα ἐπολιτεύσατο, ἐς ἃν αὐτὸν ὁ συνήθης Ἀθηναίοις φθόνος (y) ἐξέωσε. ἐν δὲ Αἰγύπτῳ ὁ συνὼν τῷ Πτολεμαίῳ, νομοθεσίας ἦρξε. Id eſt: *Demetrius Phal. ſummâ cum dignitate Remp. Athenienſium rexit, donec eum Athenienſibus conſueta ſolitaque invidia ejecit: ſed in Ægypto quoque apud Ptolemæum in rogandis ferendiſque legibus primas tenebat.* (z) Plutarchus ſcribit quòd exul in

(x) *Var. Hiſt. l. 3. c. 17.*

(y) *Videtur legendum,* ἐξῶσε.

(z) *De Exilio. p. 601.*

in Ægypto floruit, πρῶτος ὢν τῶν Πτολεμαίου φίλων *amicorum Ptolemæi omnium primus*, & quòd tantis opibus abundavit, ut Athenienſibus etiam dona miſerit. Οὐ μόνον αὐτὸς ἐν ἀφθόνοις ἦν, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις δωρεὰς ἔπεμπε. Et quàm intimum Demetrium Ptolemæus habuit, quantique illum fecit vel exinde ſat abundè patet, quòd ſecretiſſima de Hærede regni conſtituendo conſilia cum illo conſociaverit, ſicut perhibent Hermippus & Heraclides, ubi ſcribunt Demetrium hortatum fuiſſe Ptolemæum ne Philadelphum in regni ſocietatem acciperet. Minimè itaque veriſimile eſt Demetrium, dum Ptolemæus Lagi vixit, voluiſſe munus tam indignum obire quàm Bibliothecarii. Si quis cum Ariſteâ ſtatuat præfecturam Bibliothecæ Demetrio Phalereo delatam fuiſſe poſt mortem Ptolemæi Lagi à Ptol. Philadelpho, (quod non potuiſſe fieri jamdudum demonſtravi,) dicendum erit vel illum eodem loco & exiſtimatione habitum fuiſſe à Ptol. Philadelpho, quo à Ptolemæo Lagi, quo dato ſequererur improbabile eſſe illū ſubiiſſe prædictum munus: vel illum apud Philadelphum in offensâ fuiſſe, atque ex priſtinis honoribus ejectum, neceſſitate co-

coactum fuiſſe ſimplici Bibliothecæ præfecturâ contentum eſſe. Quod quidem (etſi ponamus falſum eſſe quod Hermippus ſcribit de illius morte) non poteſt probabiliter dici: rationi quippe non eſt conſentaneum, illum apud Regem commoraturum, quem expertus fuiſſet animo fuiſſe non ita benevolo in ſe; & videtur ad alios quoſvis Reges ſeſe recepturus, quàm paſſurus honorem ſibi minui & elevari, ſeque in ordinem inferiorem deprimi. Præſertim verò, cùm tantâ ſapientiæ & peritiæ gubernandi gloriâ excelluerit, & in tantam Regum dignationem perveniſſet, ut videatur neminem fuiſſe inter Reges quin ſibi in maximo lucro poſuiſſet Virum tantum tamque ſapientem apud ſe & in conſiliis habere. Nec putandum eſt Demetrium tam humili demiſſoque animo fuiſſe ut quemvis vitæ ſtatum æqui bonique conſuleret; illum enim ſublimes geſſiſſe ſpiritus Principiq; pares, ex illis dignoſcere licet, quæ de prodigalitate ejus refert(a) Athenæus ex Antigono Caryſtio, & Duride, qui affirmat illum, cùm ſummum populi Athenienſis imperium penes ipſum fuerit, *in ſumptu epularum profuſiorem fuiſſe Macedonibus, munditi-*

(a) L. 12. p. 542.

*is*

*is ſuperiorem & Cypriis & Phœnicibus.* Et quàm amplè & clarè ſenſit poſtquam ab aris ſuis patriis exulârat, abundè evincit nobile illud reſponſũ ejus, quod cuidam, nuncianti Athenienſes ipſius omnes ſtatuas dejeciſſe, dediſſe fertur; *At non*, inquit, *virtutem ob quam eas poſuerunt.*

5. Jam verò ne quis exiſtimet præfecturam Bibliothecarum magis honorificam fuiſſe apud antiquos quàm apud hodiernos, exempla quædam cuſtodum Bibliothecarum adducam ante oculos, unde ſit colligere quàm indignum *Principe* iſtud munus fuerit. Inter Præfectos Bibliothecæ Alexandrinæ recenſentur ab Authoribus Zenodotus Epheſius, Eratoſthenes Cyrenæus, Apollonius Rhodius, & Ariſtophanes Byzantius. E quibus Zenodotus à Suidâ vocatur *Grammaticus*, & dicitur Ptolemæi Regis *filios docuiſſe literas.* Eratoſthenes ejuſdem facultatis Profeſſor fuit, & diſcipulos docuit, inter quos Ariſtophanes Byzantius, Suidâ teſte. De Apollonio, qui illi ſucceſſit, hæc cognoſcimus ex Suidâ & duobus Scriptoribus anonymis qui Vitam ejus breviter tradiderunt, illum fuiſſe Alexandrinum, & Callimachi *Grammatici* diſcipulum, reliquiſſe patriam ſuam

eò

eò quòd ibi malè audiret, & Rhodum concedentem *docuisse Rhetoricam*, inde reversum tandem Alexandriam, propter doctrinam evectum fuisse ad præfecturam Bibliothecæ. Aristophanes, qui à Vitruvio dicitur præfuisse Bibliothecæ sub Philadelpho, sed conferendus est ad tempora posteriorum Ptolemæorum, Grammatices professione claruit, referente Suidâ. Si Alexandriâ transeamus Romam, obviam ibi se nobis feret Cajus Julius Higinus, curator Palatinæ Bibliothecæ Augusti Cæsaris, *Grammaticus admopauper, & Augusti libertus*, ut testatur (b) Suetonius: qui addit Cajum Melissum, *Grammaticum & servum manumissum*, curam ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepisse, delegante Augusto Cæsare: Inter omnes hujusce ordinis Dionysius Alexandrinus videtur ad maximam dignitatem pervenisse, quem Suidas scribens vixisse à temporibus Neronis & Trajani, subdit, καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν προὔστη. καὶ τῶν ἐπιστολῶν, καὶ πρεσβειῶν ἐγένετο καὶ ἀποκριμάτων: quod, ex interpretatione Æmilii Porti, significat illum vel fuisse *præfectum Epistolarum, responsorum, & legationum*, vel fuisse

(b) *Libello de Illustr. Grammaticis.*

ab

*ab epistolis, & à responsis, & varias legationes obiisse.* Ad quæ munera, qualiacunque fuerint, videtur promotus fuisse postquam Bibliothecis præfuisset; & utcunque esset, constat tamen illum *Grammaticam* professum esse. *Grammaticum* enim Suidas illum appellat, & subjungit illum fuisse *præceptorem* Parthenii *Grammatici*.

6. Quam ob rationem Demetrium Phal. Bibliothecæ Alexandrinæ Curatorem constituerit Aristeas, conjecturâ colligere non difficile fuerit, si inquiramus quis Ptolemæorum primus Bibliothecam instituerit. Inter omnes ferè Sequaces Aristeæ, cum recentiores, tum antiquiores, convenit Ptolemæum Philadelphum primum posuisse fundamenta Bibliothecæ Alexandrinæ, quod à vero alienum esse ex Suidâ conficio, qui planè docet Bibliothecam illam extitisse tempore Ptolemæi Lagi, quo regnante Zenodotum Ephesium fuisse præfectum ejus. Ζηνόδοτος, inquit, Ἐφέσιος, ἐποποιὸς καὶ γραμματικὸς, μαθητὴς τοῦ Φιλήτα, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ πρώτου, ὃς καὶ πρῶτος τῆς Ομήρου διορθωτὴς ἐγένετο, καὶ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκης προῆκτο. καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν. *Zenodotus, Ephesius,*

*Versificator, & Grammaticus, Philetæ discipulus. Vixit sub Ptolemæo primo, qui etiam primus fuit Homeri corrector, & Alexandrinis Bibliothecis præfuit, & Ptolemæi liberos instituit & erudivit.* Atque hoc ad similitudinem veritatis quàm proximè accedere ex eo confirmatur, quòd Ptolemæus Lagi ipse vir literatus fuerit, & de studiis bonarum literarum optimè meritus. Nam, ut transeam testimonium (c) Johannis Malala, qui illum malè vocat *Astronomum*, & ne memorem volumen Epistolarum ejus, quas à Dionysiodoro editas refert (d) Lucianus; ipse Historiam contexuit de Expeditionibus Alexandri Magni, cujus meminit (e) Plinius & (f) Plutarchus, ex quâ præcipuè Arrianus Historiam suam de Expeditione Alexandri composuit, sicut ipse (g) profitetur. (h) Quintus Curtius de eo scribit, quòd quamvis *promptissimus bellator* esset, *pacis tamen artibus, quàm militiæ, major fuit & clarior.* Sapientiæ Doctoribus & eruditis viris magnam dignationem habuit, & eorum multos aluit ac fovit in Aulâ suâ, quorum in numero fuerunt (i) Theodorus Atheus, (k) Stilpon Megareus, (l) Diodorus Cronus, & (m) Strato Peripateticus, quemadmodum

(c) *In Chronographiâ nondum editâ.*

(d) Ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος, *p.* 272

(e) *Nat. Hist.*

(f) *Vitâ* Alexandri M.

(g) *In Præfatione.*

(h) *L.* 9. *c.* 8.

(i) D. Laert. *Vitâ* Aristippi *p.* 58.

(k) *Idem in ejus Vitâ p.* 61. *& in Vitâ Euclidis p.* 60.

(l) *Idem ibid. p.* 60.

(m) Stratonem *apud* Ptolemæum Lagi *versatum fuisse cùm* Philadelphum *(adolescentem) docuerit Philosophiam, hinc conficitur, quòd Ol. CXXII Itiâ, quâ* Philadelphus *regnum inivit,* Theophrasto A-Athenis *in Scholâ successerit, & ei præfuerit usq; ad mortem.*

dum colligitur ex D. Laertio; qui etiam (n) scribit Ptolemæum (Lagi) suspexisse Theophrastum Philosophum, & literas ad illum misisse, quippe virum *eruditissimum* & *Philologum*. Itaque à fide non prorsus alienum est Ptolemæum Lagi *Musêum* Alexandrinum instituisse: quod Collegium fuit doctorum virorum, non dissimile illis quibus (usque ad invidiam mundi) decorantur Alma nostra Mater Academia *Oxonia*, & soror ejus *Cantabrigia*. Ad quod Bibliotheca Alexandrina pertinuit, ut docet Anonymus Author Vitæ Apollonii Rhodii, in quâ Bibliotheca magna Alexandriæ dicitur Βιβλιοθῆκαι τοῦ Μουσείου. Verum quidem est Ptol. Philadelphum præclarè de Musêo & Bibliothecâ meritum fuisse, hoc enim attestatur (o) Athenæus, qui orationem de Philadelphi opibus & magnificentiâ clausurus, περὶ δὲ Βιβλίων πλήθους (inquit) καὶ Βιβλιοθηκῶν κατασκευῆς, καὶ τί εἰς τὸ Μουσεῖον συναγωγῆς τί δεῖ καὶ λέγειν, πᾶσι τούτων ὄντων κατὰ μνήμην. *De librorum multitudine & coacervatis Bibliothecis, & congregatione* (Virorum doctissimorum) *in Museum quid attinet dicere? cùm in hominum memoriâ hæc versentur.* Dalecampius pro, *congregatione in Museum,*

(n) *Vitâ Theophrasti.*

(o) *L. 5. p. 203*

*um*, vertit, *Museique structurâ*; quasi Athenæus Museum Philadelpho tanquam primo conditori attribuerit, quod quidem ex illis verbis confici non potest. Neque aliud quicquam exinde astruendum est, quàm quòd Philadelphus Bibliothecam magnopere auxerit, & Museum quamplurimùm adornaverit, & multam operam in eo posuerit, ut viros doctrinâ præstantissimos in socios Musei conquireret, (p) Plutarchus profectò videtur conjecturam nostram firmare, & Museum constructum ascribere Ptolemæo primo: scribens enim contra Epicurum, qui pronunciat viros sapientes & Reges non debere audire quæstiones eruditas & disquisitiones Criticorum Philologicas, neque disputationes de musicis aut Poeticis qnæstionibus institutas, hæc verba habet. Εἰ δ' Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος συναγαγὼν τὸ Μουσεῖον τέκτοσι συνέτυχε τοῖς καλοῖς καὶ βασιλικοῖς ἐπιτάγμασιν, ἆρα οὐκ ἂν εἶπε τοῖς Σαμίοις, ὦ μῦσος τίς ὁ φθόνος. Quæ licèt non abhorreant ab hujusmodi interpretatione: *Quòd si Ptolemæus, qui primus* (q) *Museum instituit, in præclara ista & Rege digna incidisset præcepta, nonne dicturus erat Samiis, O musa, quæ invidia?* possunt tamen

(p) *Non posse suaviter vivi secundum Epicurum. p.* 1095.

(o) Gul. Xylander *vertit*, qui primus musicos conduxit: *haud benè.*

tamen in hunc modum Latinè reddi; *Quod ſi Ptolemæus primus, Muſeum inſtituens* &c. Porro (r) verò (ut Muſeum miſſum faciamus) cùm Ptolemæus Lagi apprimè eruditus fuerit, & in optimis literarum ſtudiis ſuaviſſimè otiari, & eadem in aliis hominibus promovere, conſueverit, dubium eſſe nequit quin, ſi in ſuâ poteſtate librorum ullas collectiones habuiſſet, eos tranſlaturus fuiſſet in urbem Alexandriæ, quam legitur maximopere ornaviſſe. Jamverò quòd Bibliothecæ aliquæ ſub ditione Ptolemæi Lagi fuerint, nempe in Ægypto, hinc aſtruitur quòd vetuſta Sacerdotum Ægyptiorum ſcripta multùm celebrantur ab Authoribus: & præterea Oſymanduas Rex Ægypti traditur à (ſ) Diodoro Siculo *Bibliothecam ſacram conſtruxiſſe*, quam vocavit Ἰατρεῖον τῆς ψυχῆς *Medicinæ animæ officinam*. Qui Oſymanduas tametſi inter veteres Regum fuerit, non eſt tamen dubitandum quin exemplum illius Bibliothecæ, ſi non res ipſa, permanſerit, & nonnullæ Bibliothecæ exinde ad tempora Ptolemæi Lagi extiterint. Accedit quòd Naucrates quidam (referente (t) Euſtathio) tradiderit Phantaſiam fæminam, Memphi in Ægypto natam, Iliadem

(r) Strabo *l.* 13. *p.* 419. *ait*; Ariſtoteles primus omnium, quos novi, libros collegit, & Reges Ægypti docuit Bibliothecæ ſtructuram: *unde conficitur* Ptolemæum Lagi *Bibliothecam incepiſſe*; *quia* Ariſtoteles *obiit init.* o Ptolemæi Lagi; *niſi voluerit* Strabo Ariſtotelem *Bibliothecæ ſtructuram* exemplo *ſuo docuiſſe*: *quod quidem omnino videtur.*

(ſ) *Lib.* 1.

(t) *Præmio in Odyſſeam.*

dem atque Ulysseam scripsisse & *Memphi in Templo Vulcani deposuisse*; & Homerum, in Ægyptum quum venisset, illorum Poematum exemplaria ab aliquo τῶν ἱερογραμματέων accepisse, sibi ascripsisse, atque edidisse. Quod licèt in Homero videatur falsum, confirmat tamen (ut rectè observat eruditissimus (u) Lipsius) Ægyptios Bibliothecas in Templis suis habuisse. Quo quidem modo Græcis postea Romanisque solitum est Bibliothecas in Templis condere. Ad veritatem itaq; propensiùs accedit, Ptolemæum Lagi Bibliothecarū harum Ægyptiarū saltem aliquarū libros collegisse & transtulisse Alexandriam. Adde quod (x) Athenæus inter illos qui libris congerendis coacervandisque Bibliothecis nobiles extiterunt, Polycratem Samium, Pisistratum tyrannum Atheniensem, Euclidem Atheniensem, Euripidem Poetam, Aristotelem Philosophum, & Pergami Reges, annumerat *Nicocratem Cyprium*; Cyprum autem à Ptolemæo Lagi subactam fuisse & ditioni suæ adjunctam, (y) Diodorus Siculus aliique produnt: unde extra omnem dubitandi aleam ponitur Nicocratis Bibliothecam in manus Ptolemæi venisse; neque dubium est quin ab

(u) *Syntag. de Bibliothecis c.* 1.

(x) *L.* 1. *c.* 2.

(y) *L.* 19. *p.* 719. *& l.* 20. *p.* 761.

ab illo Alexandriam transportata fuerit. Atque hæc, conjuncta cum libris ex Templis Ægyptiorum accitis, aliisque quibusdam aliunde conquisitis, videtur constituisse Bibliothecam Ptolemæi Lagi, de quâ in loco Suidæ suprà citato mentio. Demonstrato autem Ptolemæum Lagi Bibliothecam Alexandriæ condidisse, subjungam Plutarchi locum, unde confici possit quæ res ista fuerit, quæ Aristeam de Demetrio falsum habuit. (z) Scribit is *Demetrium Phalereum Ptolemæo Regi suasisse ut libros de regno ac principatu compararet ac legeret, quippe illa, de quibus amici Reges monere non audent, in libris illis reperiret.* Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῄνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν. ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαῤῥοῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. Jamverò, si conjecturam inire liceat, videatur Aristeam putavisse Demetrium Phalereum versatum fuisse apud Ptol. Philadelphum, quem noverat percelebrem congerendis libris evasisse, quoniam acceperat illum vixisse cum Ptolemæo illo, qui Bibliothecam Alexandrinam instituit. Et videtur credidisse Demetrium à Bibliothecâ fuisse Ptolemæo,

(z) *Apophthegmata Regum p.* 189.

mæo, quia inciderat in Authorem aliquem, in quo quæ ſuprà produntur ex Plutarcho tradebantur; nimirum quia legerat Demetrium cum Ptolemæo egiſſe de libris conquirendis. Neque veri diſſimile eſt Ptolemæum Lagi, cùm Demetrius de libris ſupradictis coemendis ipſum admonuerit, in mandatis illi dediſſe ut illos ipſe compararet, utpote qui optimè nôrit qui libri de regno & principatu volvendi erant; unde facilè quis conceperit Ariſteam deceptum fuiſſe, nempe quòd ipſi innotuerit Ptolemæum (quem putavit fuiſſe Philadelphum) Demetrio Phalereo dediſſe negotium de *libris* comparandis. Dixi veriſimile eſſe Demetrium Phal. habuiſſe curam librorum ſupradictorum perquirendorum; hoc enim nullo modo exiſtimandum eſt indignum illo fuiſſe. Et ſanè ſi Ariſteas ſolùm ſcripſiſſet illum adminiſtrâſſe negotium conquirendi libros ad inſtruendam Regis Bibliothecam, illi hoc nomine non fuiſſem adverſatus; potuit enim Ptolemæus à Demetrio in gratiæ loco petere, ut, ſiquidem eruditiſſimus ac librorum peritiſſimus fuerit, id curæ in ſe ſuſciperet; ut Bibliothecarios conſilio ſuo dirigeret; ut ad Civita-

tes

tes exteras mitteret qui libros coemerent; & ad eas & Homines doctos scriberet ad libros obtinendos. Jamverò Aristeas non solùm Demetrio hanc curam attribuit, verùm etiam officium communium Custodum Bibliothecarum apertè ascribit illi: Καταταχθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς; & in Epistolâ, quæ à Demetrio ad Regem fingitur, indicatur Demetrii fuisse non modò libros nancisci in Bibliothecâ recondendos, sed etiam illos quæ jamjam repositi fuerant curare ne quid iis detrimenti accideret, & læsos detritosque reficere, sicut fieri solet à communibus Bibliothecariis. Προστάξαντός σου, Βασιλεῦ, περὶ τῶν ἀπολιπόντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῆς βιβλιοθήκης βιβλίων, ὅπως ἐπισυναχθῇ, καὶ (adde ὅπως) (a) τὰ διαπεπτωκότα τύχῃ τῆς προσηκούσης ἐπισκευῆς, πεποιημένος οὐ παρέργως τὴν ἐν τούτοις ἐπιμέλειαν, προσαναφέρω σοι τάδε. *Cùm, Rex, mandaveris mihi ut, qui deessent Bibliothecæ tuæ libri, eos curarem ad eam complendam colligi: & si qui detrimentum cepissent, illos ad modum convenientem reficerem: ego hactenus non segnem in hoc operam navavi.*

6. Notandum autem est insuper ex loco Suidæ suprà citato, custodem Bibliothecæ

(a) *In* Josepho *legitur*: Προς: σου, ὦ Βασ: περί τε τῶν ἔτι λειπόντων εἰς ἀναπλ: τῆς βιβ: συγγραμμάτων ὅπως συναχθῇ, καὶ περὶ τῶν διαπεπτωκότων ὅπως τῆς δεούσης ἐπιμελείας τύχῃ &c. *Quæ posteriora verba* Gelenius *non intellexit, locum sic vertens*: Quia mandâsti Rex ut quod deest tuæ Bibliothecæ suppleamus & libros qui hactenus nostram inquisitionem effugerunt perquiramus.

liothecæ Alexandrinæ, quo tempore Ptolemæi Lagi Filii adoleſcentes erant, hoc eſt, cùm Demetrius Phal. in Aulâ Ptolemæi Lagi verſaretur, fuiſſe Zenodotum Epheſium, Grammaticum. Cui quidem Bibliotheca credita fuit non ſolùm ſub Ptolemæo Lagi, ſed etiam regnante Philadelpho, idque (ut videtur) per totum ferè regni ſpatium, ne dicam & poſtea. Zenodotum enim vitam ſuam perduxiſſe uſque ad initium Ptolemæi Euergetis, vel ad regnum Philadelphi exiturum, ex eo conficitur quòd (teſtante (b) Suidâ) præceptor fuerit Ariſtophanis Grammatici, qui perhibetur floruiſſe annis ferè quinquaginta poſt mortem Ptol. Philadelphi, nempe Olympiade (c) *CXLVtâ*, adeò ut ex ephebis non potuerit exceſſiſſe cùm Philadelphus diſcederet ex vitâ. Atque hoc veriſſimum eſſe confirmatur inde, quòd ille (d) Eratoſtenis quoque auditor fuerat. Eratoſtenes enim ipſe, obeunte Philadelpho, non exceſſerat annum ætatis ſuæ trigeſimum, cùm natus eſt Olympiade (e) *CXXVItâ*; neque Alexandriâ docuit ante regnum Ptol. Euergetis: à quo invitatus Alexandriam fuiſſe (f) legitur. Suidas quidem non aſſerit diſertis verbis Zenodotum

(b) *In* Ariſtophanes Byz. μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου. ἀλλὰ τοῦ μὲν, νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε.

(c) Anagr. Olympiadum, *& Suidas quem apud pro* μέ *ſcribendum eſt* ϛμέ.

(d) Suidas *in* Eratoſthenes.

(e) *Idem.*

(f) *Idem.*

tum Ariſtophanis magiſtrum, fuiſſe Epheſium, qui præfecturam tenuit Alexandrinæ Bibliothecæ; conſtat tamen eundem denotari, licèt alter Zenodotus fuerit, Grammaticus itidem, & Alexandrinus: vixit enim Zenodotus hic Alexandrinus poſt ipſum Ariſtophanē; nam ad ſummum tantùm coævus fuit Ariſtarcho Grammatico Ariſtophanis diſcipulo, (g) (qui claruit Olympiade (h) *CLVI:*) ut ex illo colligitur quod Suidas de eo ſcribit, ſcil. quòd *in urbem* (Alexandriæ) *vocatus fuit ad recognoſcendum ea quæ ab Ariſtarcho in Homero damnata ſunt ac rejecta.* Cum dictis autem de Zenodoto Epheſio moriente poſt initium Ptolemæi Euergetis, benè convenit illud quod traditur de Eratoſthene ſupradicto, nempe quòd à Ptol. Euergete accerſitus fuerit Alexandriam, & ſupra Bibliothecam conſtitutus, & quòd τὸ βῆτα nuncupatus fuerit. Videtur enim eo nomine vocatus fuiſſe quoniam *ſecundus* fuerit Præfectorum Bibliothecæ & Muſæi. Scio (i) Suidam & Heſychium Mileſium tradere eâ de cauſâ nomen illud impoſitum quòd in omni doctrinæ genere ſecundas tulerit ab illis, qui acceſſerant ad ſumma: quod quidem non immeritò allubeſcit doctiſſi-

(g) *Idem in* Eratoſthenes *&* Ariſtarchus.

(h) *Idem it* Ariſtarchus.

(i) *Apud quem pro,* τὰ βήματα, *legendum eſſe* τὸ βῆτα *rectè monent eruditi Viri.*

doctiſſimo (k) Ger. Voſſio, quandoquidem *ſecundus* vel *junior Plato* quòque audiverit Eratoſthenes propter omnifariam ſuam eruditionem, quaſi Plato *Alpha*, id eſt *primus* in doctrinæ laude, Eratoſthenes *Beta* fuiſſet, hoc eſt, *ſecundus*. Quem ad modum habet (l) Martialis, ut obſervat cl. Vir,

(k) *De Hiſt. Græcis l.1.c.17.*

(l) *L. 5. Epigr. 27.*

*Quod Alpha dixi, Codre, pænulatorum*
*Te nuper, aliquâ cùm jocarer in chartâ:*
*Si fortè bilem movit hic tibi verſus,*
*Dicas licebit Beta me togatorum.*

Cæterùm cùm eâ nominis ratione conjecturâ tantùm collegerint literati viri; nihil video certiſſimè obfuturũ quominùs ab ordine Bibliothecariorum Muſei vocabulum illud duceretur. Cui quidem conjecturæ vigorem illud adjicit, quòd Eratoſtheni appellatio illa indita fuerit à ſequentibus Bibliothecariis ſive Præſidibus Muſei, teſte (m) Marciano Heracleotâ; Ἐρατοσθένης ὁν Βῆτα ἐκάλεσαν οἱ τῆς Μουσείου προεστῶτες: unde videatur datum fuiſſe nomen ob reſpectum aliquem habitum ad Muſeum. Repugnat quidem quod (n) Genebrardus & (o) Friſchlinus ſcribunt, Bibliothecæ curam Callimacho (ante Eratoſthenem) concreditam fuiſſe. Sed verò hoc in libris

(m) *In* Periplo: *ſive Fragmento Epitomes XI librorum Geogra.* Artemidori Epheſii *ad* Periplum *attexo. p. 95. edit.* Hœſchelii.

(n) *Chron. p.* 284.

(o) *Præfat. ad* Callimachi *Poemata.*

bris antiquorum expreſſum non habemus: Strabo enim, quem Friſchlinus adducit teſtem, non tradit Callimacho Bibliothecam demandatam fuiſſe; ſed tantùm dicit (p) Callimachum & Eratoſthenem Cyrenæos (hunc enim locum videtur Friſchlinus reſpexiſſe) *ambos ab Ægypti Regibus in honore habitos fuiſſe.* Hoc tamen non auſim obſtinatè negare, quoniam compertum habeo Callimachum Catalogum contexuiſſe librorum abſolutiſſimum, in quo expoſuit quibus materiis Scriptores ante ipſum ingenia ſua exercuerint, & illum inſcripſit, πίναξ πασῶν συγγραμμάτων, *Index omnigenorum Scriptorum*; uti perhibet (q) Athenæus: unde videtur confici probabiliter poſſe illum fuiſſe Bibliothecæ Præfectum. Quod ſi verum ſit, exemplum habemus aliud Grammatici, & trivialis Ludimagiſtri, qui Bibliothecæ Alexandrinæ præpoſitus fuit; Callimachum enim ludum literarium in vico quodam Alexandriæ inſtituiſſe priùs, quàm eruditionis famâ vel carminum nitore Regis Philadelphi animum in ſe attraheret, teſtatur Suidas; qui etiam narrat illum poſtea quoque fuiſſe magiſtrum Grammatices, & docuiſſe Ariſtophanem poſt mortem

(p) *L.* 17. *p.* 576.

(q) *L.* 6. *c.* 10. *p.* 244. & *l.* 14. *c.* 12. *p.* 643.

mortem Zenodoti (Epheſii.) Neque impediret quominus Zenodotus Bibliothecæ præpoſitus eſſet uſque ad initium Ptolemæi Euergetis, vel paulò ante mortem Philadelphi, ſi inter illum & Eratoſthenem interceſſerit Callimachus: quippe potuit Callimachus Bibliothecæ præfici vel ab ipſo Ptolemæo Euergete, vel paulo ante obitum Philadelphi. Demonſtrato itaque Zenodotum Epheſium Bibliothecæ Alexandrinæ præfectum fuiſſe à Ptolemæo Lagi, & munere illo functum fuiſſe ad deceſſum uſque circitèr Ptolemæi Philadelphi (quod ex eo conficitur, quòd uſque ad mortem ferè Philadelphi; vel poſtea, in humanis egerit, & Grammaticam Alexandriâ profeſſus fuerit:) exinde aſtruitur (*) falſum eſſe quod Ariſteas illiuſque Sequaces ſcribunt de Demetrio Phalereo. Id, quod modò probatum aliunde fecimus, oſtendentes, à veri fide diſſidere narrationem illam quòd Demetrius muneris iſtius oneri ſe ſubmiſerit. (r) Joſephus Gorionides ubi de opere Interpretationis ex Ariſteâ, vel illius ſequace quopiam, narrationem inſtituit, quod Ariſteas Demetrio aſcribit Phalereo, id totum ipſi Ariſteæ & Andreæ tribuit, de Deme-

(*) *Saltem* Demetrium *non potuiſſe præeſſe Bibliothecæ Philadelphi, niſi exituro hujus regno, ante quod tempus diu obiërat.*

(r) *Hiſt. Jud. l. 3. c. 2.*

metrio nullâ factâ mentione. Quod tamen illius scientiæ minimè attribuerim, quasi noverit Demetrium non potuisse præsidere Bibliothecæ, sed illi dandum est errori memoriæ. *Ptolemæus*, inquit, *præcepit duobus Principibus suis, quorum nomina erant Aristæus & Andreas, ut congregarent libros multos. Collectis autem plurimis voluminibus, scriptis Medorum atque aliorum populorum linguis, dixit Rex ad eos: Quot habetis libros? Responderunt ei* &c.

7. Quòd Ptol. Philadelphus ad instruendam Bibliothecam Alexandrinam totum se aliquando intenderit, & illam egregiè adornaverit, testimonium perhibent non solùm Aristeas, & post illum Philo Judæus, Josephus, & Scriptores Ecclesiastici, verùm etiam Vitruvius, Ammonius, & plusquàm uno loco Athenæus, quos olim citavimus. Illum verò Bibliothecam illam primùm non instituisse verùm auxisse tantùm & instructissimam reddidisse, demonstravimus; unde liceat argumentum trahere contra Aristeam, si compertus sit hujusce opinionis quòd Philadelphus illam primus omnium auspicatus fuerit; cujus quidem sententiæ fuisse illum dubito utrùm satis demonstrari queat.

Hoc

Hoc enim nuſquam diſertim aſſerit; & in eo quòd dicit, Demetrium Phal. *conſtitutum ſupra Bibliothecam Regis, conatum fuiſſe omnia totius terrarum orbis volumina colligere*, videatur innui Regem Bibliothecam inceptam habuiſſe antequam Demetrio negotium illud impoſitum fuit: clariùs verò hoc innuitur in loco ſuperiùs allato ex Epiſtolâ Demetrii ad Regem, ubi dicit Demetrius officii ſui fuiſſe (non Bibliothecam inſtituere & incipere, ſed) libros acquirere qui *Bibliothecæ defuerunt & reficere illos, ſi qui fuerint, qui aliquod ceperant detrimenti.* Manifeſtum tamen eſt (ut ſuprà diximus) Sequaces Ariſteæ ferè pleroſque, cùm recentiores, tum antiquos, credidiſſe Philadelphum primum fuiſſe Bibliothecæ Alexandrinæ Conditorem, & Demetrium Phalereum primum ejus curatorem. (ſ) Conſtantinus Manaſſes de Philadelpho canit

(ſ) *Annal. v.* 950.

[a] ὃς πρῶτος βασιλέων
τὴν Ἀλεξάνδρου πόλιν βίβλων πολλῶν
μητέρα &c.

Ideſt: *Qui regum primus Alexandri Urbem multorum librorum matrem fecit. Infinitos enim libros aiunt ipſum collegiſſe, ad quater nimirum centena millia.* (t)

(t) *Apolog. c.* 18.

Ter-

Tertullianus ſe in eâdem fuiſſe ſententiâ manifeſtò docet, dicens Philadelphum (non Patrem ſuum, ſed) Piſiſtratum, plurimis antè annis tyrannum Athenarum, æmulatum fuiſſe. *Ptolemæorum eruditiſſimus (quem Philadelphum ſupernominant) & omnis literaturæ ſagaciſſimus, cùm ſtudio Bibliothecarum Piſiſtratum (ut opinor) æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetuſtas, aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur, ex ſuggeſtu Demetrii Phalerei Grammaticorum tunc probatiſſimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoque poſtulavit.* S. Hieronymus ſuffragatur, & videtur hunc locum ſecutus fuiſſe, (u) ubi dicit beatum Pamphylum Martyrem *Demetrium Phal. & Piſiſtratum in ſacræ Bibliothecæ ſtudio voluiſſe æquare.* Eadem videtur mens fuiſſe (x) S. Auguſtini, qui, cùm locutus fuiſſet de Ptolemæo Lagi, ſubjunxit de Philadelpho, eum *concupiviſſe habere* libros S. Scripturæ, *in Bibliothecâ, quam nobiliſſimam fecerat*, id eſt, (uti illum intelligo) *in Bibliothecâ nobiliſſimâ, quam fecerat.* Juſtinus Martyr ait Ptol. Philadelphum S. Scripturas Græcè reddi curâſſe (y)

(u) *Epiſt.* 141. *ad* Marcellam: *quam recitat* Ruffinus *Invectivâ in* D. Hieron. *l.* 2. *p.* 177.

(x) *De Civ. Dei l.* 18. *c.* 42.

(y) *Apolog.* 2. *p.* 72.

(v) ὅτι βιβλιοθήκην κατεσκεύασε, καὶ τὰ πάν-

των ἀνθρώπων συγγράμματα συνάγειν ἐπειράθη, *cùm Bibliothecam instituerет* (ut vertit Interpres) *& hominum omnium scripta comportare conaretur.* (z) Et alibi: *Ptolemæus* (inquit) βιβλιοθήκην ἐν τῇ Αλεξανδρείᾳ κατασκευάσας, καὶ πανταχόθεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ πληρώσας αὐτὴν &c. In eundem modum (a) Epiphanius; Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος βιβλιοθήκην κατασκευάσας ἐπὶ τῆς αὐτῆς Αλεξάνδρου πόλεως, ἐν τῷ Βρυχίῳ καλουμένῳ κλίματι. (b) Eusebius, (ex Græco vertente S. Hieronymo) dicit *Ptol. Philadelphum* S. Scripturarum libros *in Alexandrinâ Bibliothecâ habuisse, quam sibi ex omni genere literaturæ comparaverat.* In Chronico Alexandrino traditur illum S. Scripturas posuisse ἐν τῇ κατασκευασθείσαις αὐτῷ βιβλιοθήκαις *in Bibliothecâ à se instructâ,* G. Syncellus ait illum *Bibliothecam Alexandriâ* (c) καθιστάναι *instituisse,* & omnes libros, quotquot in Alexandrinâ Bibliothecâ numerat, scribit in illâ reconditos fuisse à Philadelpho. Uno enim in loco ait proditum esse decem fuisse myriadas librorum in Bibliothecâ Alexandrinâ cùm perfecta absolutaque fuerit; & in (d) alio perhibet *Philadelphum Græcorum omnium, Chaldæorum, Ægyptiorum, & Romanorum libris collectis,*

(z) *Cohortatione ad Græcos p. 13.*

(a) *De Fond. & Mens. c. 10.*

(b) *Chron. Canone.*

(c) *Chronogr. p. 273.*

(d) *P. 271.*

*lectis, & illis, qui alienâ dialecto ſcripti ſunt, in Græcam verſis, myriadas decem Bibliothecâ Alexandriæ à ſe conſtructâ cuſtodiendas repoſuiſſe:* ἀπέθετο χ͞ρ τ͞ν Ἀλεξάνδρειαν ἐν τ͞ῇ ὑπ' αὐτ͞ῦ συςάσαις βιβλιοθήκαις. Syncellum ſecutus eſt (e) Cedrenus, qui tamen ab ineptis librariis graviſſimè paſſus eſt. Πτολεμαῖος inquit, ὁ Φιλάδελφος, ὃς τ͞ν μετάβολὴν τ͞ῶν θείων γραφ͞ῶν, κ͞ὶ λοιπ͞ῶν Ἑλληνικ͞ῶν, Ἰ͞ουδαϊκ͞ῶν, Αἰγυπτίων, κ͞ὶ Ῥωμαϊκ͞ῶν εἰς δύο μυριάδας ἀριθμουμένων βιβλίων, πασ͞ῶντε ἀλλογλώττων ἐθ͞ῶν, εἰς τ͞ν Ἑλλάδα γλ͞ῶτταν μετεπέμψατο, διὰ τ͞ῆς ὁσιωτάτων Ἑβραίων. ἃς κ͞ὶ ἐν τ͞ῇ χ͞ρ τ͞ν Ἀλεξάνδρειαν βιβλιοθήκαις αὐτ͞ῦ ἐνεπίθετο.

(e) *Annal. p.* 165.

(f) Iſidorus Hiſpalenſis videtur exiſtimâſſe Alexandriam ante tempora Ptol. Philadelphi Bibliothecis excultâ fuiſſe. *Magnus Alexander*, inquit, *vel ſucceſſores ejus inſtruendis omnium librorum Bibliothecis animum intendit, maximè Ptolemæus cognomento Philadelphus.*

(f) *Originum l.* 6. *c.* 3.

8. (g) Joh. Weemſius, Scoto-britannus crimen in Ariſteam inſtituit quòd (ut inquit) Demetrium aſſignet primum Bibliothecæ Alexandrinæ magiſtrum; cùm Vitruvius (ait) teſtetur Bibliothecam primò creditam fuiſſe Ariſtophani Grammatico. Quâ criminatione, ſi non injuſtè, ineptè tamen

(g) *Exercitat. Theologicis. l.* 1. *p.* 144.

illum impetit, & nullo fretus argumento. Vitruvius enim adeò non affirmat Ariſtophanem primum fuiſſe illius Bibliothecæ præfectum, ut verbis diſertiſſimis meminerit alios fuiſſe Bibliothecæ curatores ante illum; & ſtatuit Bibliothecam *perfectam* fuiſſe antequam præfectura ejus Ariſtophani data fuerit. Et ſi Vitruvius voluiſſet, quod Weemſius opinatur, de illo tamen argumento non multùm fuiſſet Ariſteiſtis laborandum, conſtat enim tantùm abfuiſſe ut Ariſtophanes primus fuerit Bibliothecæ ſub Philadelpho cuſtos, ut cuſtos ſub Philadelpho non omnino eſſe potuerit: prætextam enim nondum depoſuerat, cùm Philadelphus regnandi vivendique finem fecerit, ut argumentis paulo ſuprà prolatis manifeſtum redditur.

CAP.

## CAP. X.

*Excutitur responsum rev.* Waltoni, & *aliorum, qui* Historiam Aristeæ *defendunt testimonio* Aristobuli Judæi, *qui (ut* Aristeas) *scribit* Græcam Versionem *peractam fuisse curâ* Demetrii Phalerei.

*Respondetur,* Aristobulum *in eo secutum fuisse* Aristeam. *De ætate ejus & authoritate disquisitio instituitur. Probatur non constare illum Commentarios suos scripsisse ad* Ptolemæum Philometorem Ægypti *Regem.* §. 3. Ptolemæum *illum, cujus Magister* Aristobulus *fuisse dicitur in Epistolâ præfixâ libro secundo* Maccabæorum, *non fuisse* Philometorem. 4. *Movetur dubium de Epistolâ illâ, & de Commentariis* Aristobuli. *Illos videri supposititios, & ab aliquo post natum* Christum *conscriptos.* 5. Aristobuli *testimonio, etsi verum esset, non posse defendi* Aristeam. 6. *Quæritur an* Demetrius Phale-

Phalereus *alius ab illo, qui* Tyrannus *erat* Athenarum, *ab* Aristeâ *designatus fuerit? Negatur.* 7.

ANtequam quæ tradit Aristeas alia subjiciamus examini, videtur expedire responsum illis reponi qui Historiam Aristeæ propugnant authoritate Aristobuli Judæi, qui in Commentariis in libros Mosis, scriptis (ut dicunt) ad Ptolemæum Philometorem, attestatur S. Scripturas Græcè versas fuisse sub Ptol. Philadelpho *Demetrii Phalerei* curâ. In libro enim primo Commentariorum ad Ptolemæum Regem, prout citatur ab (h) Eusebio (& (i) Clemente Alexandrino,) affirmans Pythagoram & Platonem, Philosophos Græcos, Legis Mosaicæ instituta secutos fuisse, & exinde hausisse plurima, ut reddat hoc probabile, dicit partem S. Scripturæ Græcè redditam fuisse ante interpretationem Demetrii Phalerei monitu elaboratam, & ante imperium Alexandri M. & Persarum: Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ (k) Φαληρέως, δι' ἑτέρων, πρὸ τῆς Αλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως. Et aliquibus interjectis (l) addit: Ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων (γέγονε) ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος

(h) *Præp. Evang. l.* 13. *c.* 12.
(i) *Stromatum l.* 1. *p.* 342. *& apud* Eusebium *Præp. Evang. l.* 9. *c.* 6.

(k) Clemens Alex. *habet* πρὸ Δημητρίου simpliciter *sine* τοῦ Φαληρέως.
(l) Clemens *hæc omittit.*

ρευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σου δὲ προγόνου, προσενεγκαμένου (lege προσενεγκαμένου) μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. *Interpretatio verò totius Legis peracta est sub Ptolemæo cognomento Philadelpho, proavo tuo, qui adhibuit majorem magnificentiam & studium, præcipuâ operâ Demetrii Phalerei.* (m) Eusebius Aristobulum hunc *Peripateticum Philosophum* vocat, (n) & (consentiente (o) Clemente Alexandrino) scribit illum Explicationes suas Mosaicæ Legis Ptolemæo nuncupâsse cognominato *Philometori*, qui quartus fuit Regum à Ptol. Philadelpho, & incepit puerulus regnare intra annos post mortem ejus sexaginta sex, sive, juxta rationes Eusebii, sexaginta septem; cui etiam dicitur Aristobulus fuisse à studiis Philosophicis. Unde conficitur illum floruisse in Ægypto intra annos *LXX* vel *LXXX* ab obitu Ptol. Philadelphi, & natum fuisse intra annos *XXX* vel *XL*. Testimonio hoc Aristobuli Aristeam contra Scaligerum tuetur, & Hermippum erroris arguit rev. (p) Waltonus, dicens illum *auctorem indubitatum esse & paulo post Aristeam scripsisse; & vel ab ipso vel aliis, qui rei gestæ interfuerunt, veritatem*

(m) *Canone ad an.* 3. Ptol Philometoris.
(n) *Ibidem.*
(o) *Strom. l.* 1. *p.* 342.
(p) *Prolegom. Bib. Polyglot.* 9. *c.* 4.

*tatem addiſcere potuiſſe.* Eodem fretus argumento reverendiſ. & doctiſ. (q) D. Stillingfleetus, S. Th. D. Eccleſiæ noſtræ decus & tutamen, Hermippi rejicit teſtimonium de Demetrio Phalereo apud Regem Philadelphum odio laborante, & ſub initium regni ejus moriente: & contendit Ariſtobulum non minoris æſtimandum eſſe quàm Hermippum, cùm *Philoſophus* fuerit *Peripateticus*, & ad Ptolemæum ſcripſerit *Philometorem*.

(q) *Origines Sacræ l. 1. c. 3. Sect. 7.* Anglicè *ſcrip.*

2. Quibus Viris præſtantiſſimis maximiſque reſpondendi ſi venia detur, reſponderi poteſt, Ariſtobulum Judæum non aliunde, quod tradit, deſumpſiſſe, quàm ex ipſo Ariſteæ Syntagmate ſpurio & confiſto. Videatur quidem minùs veriſimile illum, virum *Philoſophum* & Regis ipſius *Præceptorem*, potuiſſe decipi de interpretatione Legis Judaicæ, & de inſtitutione Bibliothecæ, cùm in illâ ætate, quâ vixiſſe creditur, ſuperſtites nonnulli fuerint qui Regem ipſum nôrint Philadelphum. (r) Wowerius tamen, qui libellum Ariſteæ repudiat, exiſtimat illum in errorem induxiſſe Ariſtobulum: arbitratus (ut videtur) confictum fuiſſe libellum illum à Judæo quopiam ſtatim ferè poſt regnum

(r) *De Bibl. Interp. c. 3. p. 34.*

num Philadelphi, consulente existimationi Versionis Græcæ, quæ paulo ante sub Philadelpho elucubrata fuerit; atq; inde opinionem de Demetrio Phalereo reliquisque confictis rebus, in animis Judæorum Alexandrinorum inveterâsse ante tempus Aristobuli. Qui quamvis Philosophus inter paucos fuerit, potuit tamen traditioni, quæ percrebuit sermone popularium ipsius omnium, fidem adhibere, de illâ nullâ inquisitione actâ: sicut quotidianis exemplis videmus solenne esse viris doctissimis pariter ac sapientissimis res multas commentitias (neque illas solùm quæ prioribus, sed & quæ eâdem ætate confictæ sunt) pro concessis habere, &, ut minimè dubiis, firmissimam illis fidem addere. Atque ita factum hac in re fuisse Jos. Scaliger (cum Episcopio, Riveto, cæterisque qui Demetrium Phal. negotio Versionis interfuisse negant) videtur existimâsse, qui pro vulgari opinione autumavit Aristobulum sub Philometore suos scripsisse Commentarios, de illius tamen testimonio (cujus nescius esse non potuit) minimè laboravit.

3. Verumenimverò si authoritatem Aristobuli penitiùs excutiamus, apparebit illam tenuiorem multò esse,

quàm quæ vulgò illi attribuitur. Si enim de ætate ejus ſcrutinium diligentiùs inſtituamus, comperiemus illum ad Ptolemæum ſcripſiſſe recentiorem *Philometore*, vel in incerto omnino eſſe quo tempore vixerit, & ad quem Ptolemæorum Epiſtolares illos Commentarios ſcripſerit, adeò ut liceat illum conferre ad ætatem poſtremorum Ptolemæorum; conſtabit ſcilicet illum ad *Ptolemæum* ſimpliciter ſcripſiſſe, non poſuiſſe cognomen ejus; & Clementem Alexandrinum cum Euſebio, ad quorum authoritatem ſe conferunt ſcriptores plerique poſteri, ex nudâ conjecturâ ſcribere Ptolemæum illum fuiſſe Philometorem, quoniam in exordio ſecundi libri Maccabæorum habetur mentio de Ariſtobulo quodam Sacerdote Judæo, præceptore Ptolemæi cujuſdam Regis, quem putârunt aliquandò, fuiſſe Philometorem. Clementem autem & Euſebium *Ptolemæum Philometorem* in Commentariis Ariſtobuli non legiſſe, ſed illum deſignatum fuiſſe conjecturâ tantùm collegiſſe, exiſtimo ſatis probatum iri, ſi demonſtratum fuerit cùm Clementem tum Euſebium ſibi contradicere & interdum ponere Ptolemæum *Philometorem*, interdum alium,

um, nempe ipsum *Philadelphum*. Clemens Alex. in uno loco, (f) habet: Αριστόβουλος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα, κατὰ λέξιν γράφει. In alio libro (g) scribit: Αριστοβούλῳ δὲ τῷ κατὰ Πτολεμαῖον γεγονότι τὸν Φιλάδελφον, οὗ μέμνηται ὁ συνταξάμενος τὸν τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομὴν, βιβλία γεγονέναι ἱκανὰ. In primo loco cogitavit Ptolemæum *Philometorem* denotari in libro secundo Maccabæorum; in posteriore obitus sui *Philadelphum* intelligi arbitratus est. Eusebius (ut diximus) in Chronico Canone, quem sequuntur in Chronicis Marianus Scotus, Ado Viennensis, Beda, & Author Chronici Alexandrini, ait illum Explanationum in Mosen Commentarios scripsisse ad Ptolemæum *Philometorem*; in quo videtur priorem locum Clementis Alexandrini secutus fuisse: in libris verò *Præparationis Evangelicæ*, ubi Aristobuli Commentarios sæpe laudat, *Philometorem* nunquam ponit, sed tribus in locis ait simpliciter Aristobulum ad *Ptolemæum* scripsisse; (h) Αριστόβουλος αὐτῷ Πτολεμαίῳ τὸν τῶν ἱερῶν νόμων προσφωνῶν ἑρμηνείαν. (i) alibi, Αριστόβουλος ἐν τῷ πρὸς Πτολεμαῖον τὸν βασιλέα συγγράμματι. (k) rursus ἐκ τῶν Αριστοβούλου βασιλεῖ Πτολεμαίῳ προσπεφωνημένων. Et in quarto (l) loco

(f) Strom. l. 1 p. 342.
(g) L. 5. p. 595.
(h) L. 7. c. 13.
(i) L. 8. c. 9 p. 375.
(k) L. 13. c. 12. p. 663.
(l) L. 8. c. 8. p. 370.

loco illum facit coætaneum Eleazaro Judæorum Pontifici Maximo, de quo agit Ariſteas, & ad ætatem ejuſdem Ptolemæi utrumque confert, nempe *Philadelphi*. Producturus enim explanationes quaſdam Legis Moſaicæ ex Commentariis Ariſtobuli, & ex illis explicationibus quas habet Ariſteas, acceptas (ut fingit) ab Eleazaro Judæorum Pontifice in colloquio cum ipſo habito, ſic dicit: Ἀπαρκεῖν ἡγοῦμαι τὰς Ἐλεαζάρου καὶ Ἀριστοβούλου διηγήσεις, ἀνδρῶν τὸ μὲν γένος Ἑβραίων ἀνέκαθεν, τὸ δὲ χρόνου, καὶ τοὺς Πτολεμαίου χρόνους διαπρεψάντων. *Eleazari & Ariſtobuli explicatione contentus ero, qui ambo & genus ab Hebræis ſuum longiſſimè repetunt & Ptolemæi Regis tempore floruerunt.* Anatolius Alexandrinus in Canone Paſchali Ariſtobulum facit unum ex LXX. Interpretibus, & affirmat inſuper illum Commentarios ſuos dedicâſſe non uni alicui Ptolemæo, ſed duobus, Philadelpho ſcilicet & Patri ejus Ptolemæo Lagi. Unde videtur adeò non conſtitiſſe veteribus quo ille vivebat ſeculo, & ad quem ſcribebat Ptolemæum, ut unuſquiſque ferè Lector conjecturam ſuam interpoſuerit. Μαθεῖν δ' ἔστιν (inquit (a) Anatolius) ὅτι ὑπὸ Φίλωνος, Ἰωσήπου, Μουσίου λεγομένου

(a) *Apud* Euſeb. *Hiſt. Eccleſ.* l. 7. c. 32. *ſive* 31. *ſecundùm Verſionem* Ruffini 28.

νων καὶ οὐ μόνον τούτων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔτι παλαιοτέρων, ἀμφοτέρων (b) Ἀγαθοβούλων τῶν ἐπίκλην Διδασκάλων, Ἀριστοβούλου τοῦ πάνυ, ὃς ἐν τοῖς Ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος, τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρὶ, καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωϋσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν. Hoc est, *Idque ex Philonis, Josephi, & Musæi verbis licet cognoscere: neque ex his duntaxat, verùm etiam ex aliis antiquioribus, duobus scilicet Agathobulis, qui Magistri cognominati sunt, & Aristobulo, viro præstantissimo qui unus fuit ex illis LXX. Viris, qui sacra Hebræorum volumina in Ptolemæi Philadelphi, & Parentis ipsius gratiam Græco sermone interpretati sunt, & qui libros explanationum Legis Mosaicæ iisdem Regibus nuncupavit.* In Ruffini Aquileiensis antiquâ versione Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii, quam (c) Bridefertus Ramesiensis ascribit S. Hieronymo, de uno tantùm Rege fit mentio, & locus exponitur tanquam si liber Aristobuli non intellectus fuerit, sed quasi Anatolius locutus fuerit de responsis *LXX.* Interpretum, quæ ad quæstiones Regis data refert Aristeas: confirmatur tamen Aristobulum fuisse in *LXX* Interpretibus.

(b) *Corrige, (quicquid aliter* Valesius *senserit)* παλαιοτέρων ἀμφοτέρων, Ἀγαθοβούλου τοῦ ἐπίκλην Διδασκάλου, καὶ Ἀρισ. *quod confirmat* Ruffiniana Eusebii *Versio; non enim verisimile est duos fuisse* Agathobulos *cognominatos* Magistros.

(c) *Glossis in* Bedæ Venerabilis *librum de Temporum ratione c.* 28.

bus. Interpretatio sic se habet. *Sicut evidenter edocet Philo & Josephus: sed & horum antiquiores Agathobolus & ab eo eruditus Aristobulus ex Paneade, qui unus ex illis septuaginta senioribus fuit, qui missi fuerunt à Pontificibus ad Ptolemæum Regem, Hebræorum libros interpretari in Græcum sermonem, quique multa ex traditionibus Moysi proponenti Regi, percontantique responderunt.* Quæ ita conversa fuisse à Ruffino liquet non solùm ex impressis codicibus verùm etiam ex Glossis in Bedam scriptis à Brideferto Ramesiensi, qui floruit anno D. DCCCCLXXXvo, & ex ipso (d) Bedâ, qui locum istum transcribunt integrum. Constat tamen Anatolium locutum esse de Aristobuli Commentariis in Legem, de quibus res nobis est. Jamverò ut ex hisce Anatolii, Clementis Alex. Eusebiique locis conficitur non apparuisse Aristobulum librum suum dedicâsse Ptolemæo *Philometori*; ita propter ea non existimandum est illum revera unum ex *LXX.* Interpretibus fuisse, vel vixisse sub Ptol. Philadelpho, eique suos dicâsse libros. Illum enim aliquot saltem seculis post *Philadelphum* floruisse ex ipsis illius verbis suprà productis clarissimè edocemur, in quibus Ptolemæus

(d) *De Temporum ratione c. 28. edit.* 1612.

mæus Philadelphus vocatur (e) πρόγονος *proavus* (non, *avus*, quod (f) Vigerus vertit) illius Regis, cui Commentarii illi inscripti sunt. Notandum autem est obiter, in Ruffini versione verboborum Anatolii definiri patriam Aristobuli, scilicet illum fuisse ex *Paneade*, civitate Syriæ sive Palæstinæ, quæ postea *Cæsarea Philippi* nominata est; unde videatur minùs mirandum esse si ille, cùm esset in Ægypto advena, non cognosceret veritatem de institutione Bibliothecæ & Interpretatione Legis. Cæterùm, (ut quod res est dicam) videtur veteres de Aristobulo non tantum habuisse cognitum, quantum unde fuerit: videtur enim lectio hodierna Græca, Αριστοβούλου τοῦ πάνυ, magis genuina, quàm quæ in Ruffini codice reperta fuisse videatur Αριστοβούλου τοῦ ἀπὸ Πανεάδος. Neque improbabile est Ruffinum, quem constat Græcarum literarum non fuisse valdè peritum, non intellexisse quid τοῦ πάνυ significaret, atque ideo cogitâsse corruptum illud fuisse ex τοῦ Πανεάδος; eodem modo, quo observavi Interpretem quendam (g) S. Joh. Climaci hæc verba, Ιωάννης ὁ μοι πάνυ, Latinè vertere, *Johannes Opanius*, quòd phrasin illam non in-

(e) Jos. Scaliger *ad* Euseb. *num. MDCCCXLI. ad hanc locum allusit dicens ex ipsis* Aristobuli *verbis constare illum scripsisse ad* Ptol. Philometorem *In quo tamen fallitur, nam licèt exinde sequitur illum non scripsisse ad* Ptol. Philadelphum *non tamen inde sequitur illum scripsisse ad* Philometorem.

(f) Eusebii *de Præparat. Interpres.*

(g) *Scalâ Paradisi, Gradu* 4 §. 85. *p.* 82.

intellexerit, quæ tamen elegans est, & significat *Johannes Vir mihi in paucis charus*, ὁ μοι πάνυ ἀγαπητὸς ut Matthæus Raderus rectè interpretatur.

4. Demonstrato confici non posse ex Clemente Alexandrino & Eusebio, Aristobulum Commentarios suos dedicâsse *Ptolemæo Philometori*, subjiciemus argumentum unde astrui possit illum ad posteriorem aliquem Ptolemæum eos nuncupâsse. Aristobulum Commentariorum authorem, eundem fuisse cum Aristobulo illo qui in Epistola illâ, quæ initio libri secundi Maccabæorum legitur, celebratur, & Regis Ptolemæi magister appellatur, ut in se est admodum probabile, ita Clemens Alexandrinus loco suprà allegato scribit; & (h) Eusebius idem attestatur; οὗτος δὲ αὐτὸς ἐκεῖνος, οὗ καὶ ἡ δευτέρα τῶν Μακκαβαίων ἐν ἀρχῇ τῆς βίβλου μνημονεύει: quod videtur uterque ex ipsis Commentariis collegisse. Et sanè in (i) fragmento quodam Commentariorum usque adhuc extante videtur innui illum fuisse Regis Præceptorem, in quo ostenditur Aristobulum antequam ad Ptolemæum Commentarios illos scriberet cum eodem versatum fuisse, & solitum fuisse de rebus Philosophicis, de naturâ Dei &

(h) *De Præp. Evang. l. 3. c. 9. ad finem.*

(i) Jos Scaliger *ad* Euseb. *num. MDCCCXLI.* Aristobulum, *Commentatorem sive Philosophũ existimat alium fuisse à Præceptore* Ptolemæi: *at nullo alio argumento, quàm quòd cum vulgo credidit Commentarios scriptos fuisse ad* Ptol. Philometorem.

(k) *Apud* Euseb. *Præp. Evang. l. 8. c. 10 initio.*

& similibus, cum eo differere; indicatur scilicet illum quæstiones ab illo Rege interrogatum olim fuisse de S. Scripturis, & opinione Judæorum de Numine, atque illi olim de hisce respondisse antequam librum illum ad ipsum scriberet: Quapropter non est dubitandum quin (ut doctissimi viri decreverunt) præceptor Ptolemæi fuerit, cùm Aristobulum quendam Judæum Ptolemæi Regis Præceptorem fuisse memoriæ traditur. Ptolemæum autem illum, cujus Magister Aristobulus dicitur in Epistolâ illâ quam habemus in libro secundo Maccabæorum, demonstrari potest non fuisse Ptolemæum *Philometorem*, (quod Clemens Alexand. nonnunquam opinatus est, & Eusebius ab eo deceptus) sed illius successorem; & apparet Epistolam scriptam fuisse plusquam annis viginti post mortem Ptol. *Philometoris*. Epistola enim data fuit anno Æræ Maccabæorum *centesimo octogesimo octavo*. Ptolemæus verò *Philometor* occubuit anno ejusdem Æræ *centesimo sexagesimo septimo*, ut legimus in libro primo Maccabæorum, undecimo (1) Capite, in quo qui nescit Ptolemæum intelligi *Philometorem*, in historiâ Ptolemæorum hospes sit necesse est.

(1) *V.* 13.

Unde fit conſpicuum Ariſtobulum floruiſſe non initio Ptolemæi *Philometoris*, ut vulgò creditur, ſed annis poſt initum ab illo regnum ferè ſexaginta, nempe anno viceſimo primo ab ejus obitu. Qui quidem incurrit in annum à morte Ptolemæi Philadelphi, ſecundùm Canonem Ptolemæi Aſtronomi, *CXXIIdum*, juxta computum Euſebii, *CXXIIItium*.

5. Comprobatum eſt itaque non conſtare Ariſtobulum Commentarios ſuos ſcripſiſſe intra annos à morte Philadelphi centum & viginti. Si accuratiùs in diſquiſitione hujuſce rei procedamus, inveniemus (ni fallor) locum eſſe juſtæ ſuſpicioni Commentarios illos non omnino ſcriptos fuiſſe ad Ptolemæum aliquem, ſed ab homine recentiore editos fuiſſe nomine Ariſtobuli prædicti Præceptoris Ptolemæi. Conceſſo enim illos vulgatos fuiſſe ſub perſonâ Ariſtobuli Præceptoris Ptolemæi, ſi probabile reddi poſſit falſum eſſe quod de Ariſtobulo Ptolemæi Præceptore proditur in Epiſtolâ ſupradictâ, & Epiſtolam illam eſſe fictitiam; ſuſpicio inde orietur nullum fuiſſe Ariſtobulum Præceptorem ullius Ptolemæi Regis, & Commentarios illos ſuppoſititios fuiſſe & dicatos Ptolemæi Regis nomini, quòd illorum

illorum Author in Epistolâ illâ legerat fuisse Aristobulum Judæum quendam, Magistrum Ptolemæi Regis. Epistolam verò illam fictitiam esse, & falsum esse Ptolemæum Regem anno Computi Maccabaici *CLXXXVIII^vo*, Magistrum ullum habuisse, sive Aristobulum Judæum sive alium quemvis, hinc colligitur, quòd Ptolemæus ille qui regnavit eo tempore, senilem ætatem egerit. Fuit enim Ptolemæus septimus, Ptolemæi Philometoris frater, cognominatus Euergetes secundus sive Physcon, qui currente anno Maccabaico *CLXXXVIII^vo*, non potuit natus esse annos minus sexaginta, cùm annus Maccabaicus *CLXXXVIII^vus* vicesimus primus fuit post mortem Ptolemæi Philometoris, fratris ejus; & Philometor post mortem Ptol. Epiphanis, Patris utriusque, administravit regnum annis *XXXV*. Videtur verò absurdum planè Regem, tanquam juvenem, magisterio cujusquam semet submisisse quando annos ætatis circitèr sexaginta, vel etiam eo plus, haberet. Quòd verò in Epistolâ illâ intelligitur Ptolemæum Regem discipulum fuisse Aristobuli, non olim, sed eo ipso tempore quo Epistola scripta est, ex (m) verbis fit con-

(m) *Maccab. l. 2. c. 1. v. 10.*

conspicuum: Ἔτους ἑκατοστοῦ ὀγδοηκοστοῦ, καὶ ὀγδόου οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἡ γερουσία, καὶ Ἰούδας, Ἀριστοβούλῳ διδασκάλῳ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, ὄντι καὶ ἀπὸ τῶν χριστῶν ἱερέων γένους, καὶ τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ Ἰουδαίοις, χαίρειν, καὶ ὑγιαίνειν. Si quis vellet locum hunc dé tempore datæ epistolæ mendo laborare, (quod nullo, quantum noverim, confirmatur codice) manifestum erit non posse comprobari Aristobulum vixisse ante regnum Ptolemæi Euergetis, secundi cognominis ejus. Si enim alius fuerit ab Aristobulo prædicto præceptore Regis, referri possit ad ætatem Ptolemæi Auletis sive Dionysi, qui postremus fuit Ptolemæorum omnium, qui ad virilem ætatem pervenerunt; & incepit regnare annis supra centum & sexaginta quinque post decessum Ptolemæi Philadelphi: si idem fuerit, conferri possit ad tempora Ptolemæi si non ejusdem, illius tamen qui cognominatus est *Lathyrus* sive *Soter secundus*, quem Eusebius malè *Physconem* vocat, qui Ptolemæo Euergeti secundo supradicto successit in regno circa annos centum & triginta ab obitu Ptolemæi *Philadelphi*, anno circitèr *CLXXXVII^mo* supputationis Maccabæorum. Dixi,

si

*si non ejusdem*, quippe in prædictâ Epistolâ videtur innui Judæos nondum gubernatos fuisse Regibus (Asmonæis,) qui (Eusebio supputante) inceperunt ante regnum Ptolemæi Auletis, anno duodecimo post initium regni Ptol. Lathyri, Aristobulo Pontifice sumente diadematis insigne. Verùm (ut hæc prætereamus,) suspicionem meam de νοθείᾳ Commentariorum Aristobuli dictorum, illud non parum auget, quòd Clemens Alexandrinus (n) primus sit omnium, qui de illis mentionem faciunt, qui claruit exeunte seculo altero post natum Christum. Si enim Aristobulus aliquis ex genere summorum Judæorum Sacerdotum ortus, Commentarios illos in Legem Mosis ad Ptolemæum Ægypti Regem scripsisset, nonne mirandum est Josephum nullam de eo mentionem agitare, qui profectò de Aristobulo, tali viro, ne unicum verbum protulit? Cùm Commentarii illi tam boni probatique fuerint, ut propter illos ipsorum Author *Vir sapiens inter Hebræos* ab (o) Eusebio appelletur, ὁ πάνυ ab Anatolio, à (p) Bedâ *eruditissimus*; nonne res est verisimillima Josephum Authoris eorum memoriam fuisse celebraturum, si ante ipsum hic

(n) *Post* Clementem, *non solùm* Anatolius, *&* Eusebius *illum commemorârunt, verùm etiam* Origenes, *contra* Celsum. *l.* 4. *p.* 198.

(o) *Præp. Evang. l.* 7. *c.* 13.

(p) *Epistolâ ad* Wicrhedam *Presbyterum de* Paschæ *celebratione sive de Æquinoctio vernali, secundùm* Anatolium. *p.* 230 *tomi* 2 *edit.* 1612. *ubi ait*: Cum hanc æquissimam anni inter æquinoctiorum dirempti-onem antiquissimi & eruditissimi doctoris Aristæi verbis astruat, qui fuit unus ex illis LXX. illustribus Scripturæ sacræ interpretibus. *In quibus verbis pro* Aristæi, *legendum est*, Aristobuli,

hic vixiſſet, & Commentarios in Legem Moſis ſcripſiſſet ad Ptolemæum Ægypti Regem? Nemini non notum eſt quàm fertile & fœcundum Scriptorum fictitiorum fuerit proximum illud poſt ætatem Joſephi ſeculum, nimirum ſecundum à Chriſto nato; nihil magis in uſu fuit, nihil magis commune, quàm libros emittere ſub nominibus antiquiorum, quod infinitis exemplis luculentò conſtat. Atque hanc ſanè ætatem ſapere ſatis videntur Commentarii toties ſupradicti, eò ſcilicet, quòd (in loco ſuperiùs citato, & alio producto ab (q) Euſebio) aſſeritur & ſuadetur Philoſophos & Poetas Græcos veteres ſapientiam & ſcientiam pleramque ſuam ex S. Scripturis conſecutos fuiſſe; quod ſolitum fuit à primitivis illius ætatis Patribus objici Philoſophis Ethnicis, Religionis veræ adverſariis, qui S. Scripturas contemptui faſtidioque habuerunt, & de Græcorum eruditione ſolebant gloriari: ſicut manifeſtum eſt evolventibus opera S. (r) Juſtini Martyris, (ſ) Theophili Antiocheni, (t) Tatiani Syri ſive Aſſyrii, qui claruerunt ſeculo ſecundo, & (u) Clementis Alexandrini, qui (ut dixi) eodem exeunte floruit; ne dicam aliquid

(q) *Præp. Evang. l. 8. c. 10.*

(r) *Cohortatione ad* Græcos.

(ſ) *Ad* Autolycum *l. 2. p. 87. & 115.*

(t) *Orat. contra* Græcos, *ad finem.*

(u) *Admonitione ad* Gentes *p. 46. &c. & Stromatum l. 1. p. 342. & alibi.*

quid de illis, qui consecutis vixere temporibus. Postquam hæc scripsissem in Anglicum sermonem ex Gallico conversa prodiit doctissimi Simonii Historia Critica Vet. Testamenti Anno Dom. *MDCLXXXII.* (x) Quem deprehendi prædictos Aristobuli Commentarios in libris suppositiis habuisse, quâ quidem de re gratulatus mihi sum, quòd conjecturam meam gravissimo eruditi illius viri judicio confirmatam viderim, quamvis nullam opinionis suæ rationem protulerit.

(x) L. 2. c. 2.

6. Advertendum est denique, quòd, quamvis concedatur verum esse quod in Commentariis Aristobuli proditur, crimen tamen impostura non possit eo argumento ab ipso Aristeâ amoveri. In illis enim solummodò traditur Demetrium Phalereum Versionis Græcæ negotio præfuisse sub Ptolemæo Philadelpho, non asseritur disertim Demetrium fuisse tunc temporis custodem Bibliothecæ Alexandrinæ, nec innuitur Versionem confectam fuisse multis annis post initium regni Philadelphi: adeò ut si dicamus Ptol. Philadelphum, Bibliothecam sibi instructurum dum unà cum Patre suo regnavit, sacros Judæorum libros in Græcam linguam transferri

ferri cupivisse, & Demetrio Phalereo, qui tum in Aulâ Alexandriæ ætatem habuit, utpote sapienti & erudito viro, negotium commisisse colligendorum undique librorum, & S. Scripturæ interpretandæ; si, inquam, hoc dicatur, diceremus omne quod ex Aristobulo comprobari queat; & tamen Aristeas nihilo minùs manifestus esset mendacii & imposturæ, quandoquidem Versionem confectam prodat (sicut olim demonstratum est) non illo temporis intervallo, quo simul regnârunt Ptolemæus Lagi & Philadelphus, sed diu post mortem Ptolemæi Lagi, accurante tamen Demetrio Phalereo; quod quidem si Aristobulus quoque, & alii multi Authores Judaici scriptum reliquissent, errori hoc facile tribuissem illis, tametsi professi fuissent se vixisse regnante ipso Philadelpho. Illos enim exinde, non minùs quàm Aristeam, supposititios fuisse scriptores confecissem. Neque multùm esset profectò à patronis Versionis Græcæ, si daremus illud eis, quod scripsit Aristobulus, nimirum si concederemus elaboratam fuisse Versionem Græcam sub auspiciis Ptol. Philadelphi diligentiâ Demetrii Phalerei ut collocaretur in Regiâ Bibliothecâ,

liothecâ, nisi concedamus quoque Versionem peractam fuisse (sicut Aristeas refert) per *LXXII* Viros à Pontifice Judæorum Hierosolymis in id negotii missos in Ægyptum, quod notandum est non dici ab Aristobulo. Illud enim quod Græcæ Translationi tantam dignitatem affert & tantam conciliat authoritatem, non est quòd confecta fuerit ut reconderetur in Bibliothecâ Regiâ, verùm quòd ornata creditur per viros tot & tantos, eosque ab ipso Pontifice maximo in Ægyptum missos: unde fides fit meritò, confectam illam fuisse summâ cum diligentiâ & perfectione, & exemplar Hebraicum, quo Interpretes usi fuerint, correctissimum & purissimum fuisse. Jamverò quamvis quod tradit Aristobulus concedi possit, damnato interim Aristeâ tanquam Authore fictitio, & explosо quod vulgò creditur de *LXXII* Interpretibus accitis ex Judæâ; id tamen non concedo, quia minimè dubito quin Aristobulus (quisquis esset) Aristeam secutus fuerit; quoniam (ut alias impræsentiarum rationes præteream) Ptolemæus Philadelphus (y) Bibliothecam suam instruendam non aggressus fuit nisi postquam multum tem-

(y) *Constat enim* Aristobulum *voluisse versas fuisse Scripturas gratiâ* Bibliothecæ Philadelphi, *quamvis non dicat disertis verbis.*

temporis regnando tranſegerat, ut jam jam fuſè demonſtratum eſt: unde ſequitur Demetrium Phalereum S. Scripturarum gratiâ Bibliothecæ Philadelphi transferendarum non fategiſſe quo tempore Ptolemæus Philadelphus cum Patre ſuo regno præfuit: ſicut nec poſtea potuit, cùm interpoſito poſt mortem Ptolemæi Lagi breviſſimo ſpatio demigraverit ex humanis, vel ſaltem ex Aulâ regiâ relegatus, & carceri emancipatus fuerit.

7. Cùm argumenta quædam mea de *Demetrio Phalereo* communicaverim aliquando cum Viro quodam doctiſſimo, placuit ipſi (perſuaſo, an præ humanitate ſuâ, neſcio) ſuffragio illa ſuo confirmata facere: interrogavit verò ſimul annon potuerit deſignari *Demetrius Phalereus* alius quiſpiam ab illo, de quo hactenus diſſeruimus, ex repub. Athenienſi ac doctrinâ claro nobilique. Quapropter exiſtimo operæpretium fore pauca quædam hac de re ſubjungere, antequam *Demetrio Phalereo* valedicturi ſimus. Clariſſimus & eruditiſſimus (z) D. Thomas Gale alios *Demetrios Phalereos* præter ſupradictum illum extitiſſe docet, quorum alter inter Scholiaſtas in (a) Nicandri Poetæ *Theriaca*

(z) *Præfat. ad* Demetrium Phalereum, *ſive* Rhetores ſelectos *ed. Oxon.*

(a) *Doctiſſ.* Menagius *in* D. Laert. *p.* 130. *illum* Callimachi *Scholiaſten facit, ſed memoriæ lapſu.*

*riaca* recensetur à (b) Stephano Ethnicographo, alius à (c) Josepho celebratur tanquam scriptor Historiæ Judaicæ. Suspicatur tamen Vir doctissimus cognomen, Φαληρεὺς, apud Josephum redundare & glossema esse; cæterùm genuinam esse lectionem id pro argumento est (d) quòd Eusebius, (e) neque ille solus, sed (f) Tertullianus etiam, ex Josepho Authorem illum laudantes, cognomen retinent, & *Demetrium Phalereum* vocant. Verisimile tamen omnino est Josephum cognomen illud, Φαληρεὺς, ex merâ conjecturâ addidisse; nam, præter quòd Clemens (g) Alexandrinus eundem Authorem *Demetrium* simpliciter nominet sine adjecto, in proclivi fuit illi quàm maximè, cogitare Historiam illam Regum Judæorum, quam à Demetrio scriptam legeerat, scriptam fuisse à præclaro illo *Demetrio*, cognomine *Phalereo*, quem ab Aristeâ didicerat Versionem Judæorum Legis accurâsse atque promovisse. Neque quidem facilè crediderim Scholiasten illum Nicandri cognomen (h) *Phalerei* habuisse: quod videtur intersertum à Lectore quodam sciolo, arbitrante *Demetrium* illum fuisse *Phalereum* percelebrem Atheniensem. Quo

(b) *In* Κορόπη.

(c) *Lib.* 1. *contra* Ap. *p.* 1051.

(d) *Duobus etiam in locis legitur, si in* libro 1. Antiq. *ut citat* D. Gale, *quod quidem non observavi, & suspicor esse* ἁμάρτημα μνημονικόν.

(e) *Præparat. Evang. l.* 9. *c. ult.*

(f) *Apolog. c.* 19.

(g) *Strom. l.* 1. *p.* 337.

(h) *Vocem,* ὁ Φαληρεὺς, *apud* Stephanum νοθεύειν *affirmare non dubitat* Menagius, *in* D. Laert. *p.* 130.

quidem modo *Demetrius* Poeta Comicus quem (i) Athenæus laudat in Fabulâ *Siciliâ*, à Latino Athenæi Interprete (k) *Demetrius Phalereus* per conjecturam dicitur, cùm in Græcis non haboatur vox Φαληρεύς. Atque ita Liber περὶ ἑρμηνείας sub titulo *Demetrii Phalerei* citatur à (l) Theophylacto, & sub illo nomine hodiè circumfertur, credito quòd Author illius qui ab (m) Ammonio *Demetrius* simpliciter dicitur, idem fuerit cum Athenienſi noſtro, cujus magnum nomen in Atticis Oratoribus fuit, & qui libros conſcripſit Rhetoricos; cùm tamen ab aliis ille alius ab hoc fuiſſe demonſtratur. Supradictos Authores non fuiſſe cognominatos *Phalereos*, & unicum fuiſſe cognomine illo notum, id ſatis magno argumento eſt quòd (n) Diogenes Laertius, qui recenſet viginti viros doctos *Demetrii* nomine inſignitos, unius tantum *Demetrii Phalerei* meminerit. Unde ſaltem clariſſimè demonſtratur non alium fuiſſe illius nominis memorabilem & præclarum virum, qualis quidem ille debuit eſſe, qui Bibliothecæ curam præfecturamque obtinuerit à Ptolemæo Rege Philadelpho, cujus Aula tot viris eruditiſſimis uſqueadeò floruit

(i) *L. 3. c. 26.*

(k) *Qui* Indicem Authorum *ab* Athenæo *citatorum collegit, aliis in locis ubi* Athenæus *allegat* Demetrium Phalereum, *intelligit* Demetriũ Comicum: *Malè; nam* Athenæus *in iis deſignat* Athenienſem *noſtrũ.*

(l) *Vide Præfat. in ſupradictos* Selectos Rhetores.

(m) *Vide ibidem.*

(n) *Vitâ Demetrii Phal.*

floruit, ut nullam forsan seculum Regiam tam illustrem doctrinâ viderit. Aristeas de Demetrio suo Phalereo loquitur tanquam viro clarissimo & eo nomine celebratissimo; atque ita Aristobulus. & * antiqui scriptores Ecclesiastici de præclaro Athenensi Phalereo Aristeam intelligunt, Georgio Syncello & S. Hieronymo illum ipsum fuisse disertim affirmantibus: quocircâ cùm in libris aliorum veterum habemus, illum in Ægypto commoratum fuisse, nullus locus suspicioni esse potest, alium ullum ab eo in Aristeâ denotari. Ne quis verò, hisce non obstantibus, suspicetur Authores prædictos cognominatos fuisse Phalereos, & & eorum aliquem potuisse ab Aristeâ significari; ostendemus per illorum ætates eorum nullum potuisse designari. Demetrium Nicandi Enarratorem vixisse diu post tempora Ptol. Philadelphi exinde liquet, quòd Nicander ipse diu post illum vixerit: atque hoc ex eo comprobatur quòd Poema scripserit ad Attalum Regem Pergami, & Anonymus illius vitæ Scriptor testetur illum claruisse *temporibus Attali extremi Regis Pergameni*, qui in Anagraphe Olympiadum dicitur iniisse regnum Olympi-

* Josephus *l. 2. cont. Ap. p.* 1064. Aristeanum Demetrium *vocat* eruditione sui seculi facilè principem, τὸν μὲν παιδείᾳ τοῦ καθ' ἑαυτὸν διαφέροντα Δημήτριον.

lympiadis *CLXta* anno quarto, annis centum & decem poſtquam Ptolom. Philadelphus expiravit. Demetrium Authorem Hiſtoriæ Regum Judæorum poſt ætatem Ptolemæi Philadelphi vixiſſe hinc conficitur, quòd Hiſtoriam ſuam perduxerit ad regnum uſque quarti Ptolemæi, Philadelphi Nepotis, teſte (o) Clemente Alexandrino. Si cui placeat Scriptorem libelli περὶ ἰουδαίας vocatum reverâ fuiſſe *Demetrium Phalereum*, illum tamen vixiſſe diu poſt regnū Ptol. Philadelphi dilucet ex iis quæ (p) Henricus Valeſius & (q) D. Galæ doctiſſimè de illo diſſerunerunt, probaturi illum non fuiſſe percelebrem illum Athenienſem. Demoſthenem, Xenophontem, & eorum æquales, appellat ἀρχαίους *priſcos*, cùm tamen (r) Demoſthenes obierit regnante Ptol. Philadelphi Patre, & Xenophon non ita multò antè: & (ne obſervem citari Poemata (s) Sotadis, qui clarus habebatur regno (t) Philadelphi, ut ſileam etiam de aliis pleriſque rebus) Nicias Pictor memoratur, qui (Authore (u) Plinio) vixit ætate Regis Attali; & *Gadarenus* quidam citatur, quem Vir incomparabilis noviſſime laudatus credit fuiſſe *Theodarū Gadarenum*, Sophiſtā, qui (x) vixit ſub finem Auguſti Cæſaris & ſub Tiberio. CAP.

(o) *Strom. l. 1. p. 337.*

(p) *Vide Præfat. in* Selectos Rhetores, *Oxon. edit.*

(q) *Notis in* Demetrium *p. ad num.* ΞΖ. ΡΗΖ. ΣΙΗ. ΣΛΑ. ΣΜϛ'. ΣΜΘ. ΤΕ. ΤΗ.

(r) Suidas, *aliique multi.*

(s) P. 113.

(t) Athenæus *l. 14. p. 620.*

(u) *Nat. Hiſt. l. 35. c. 11.*

(x) Suidas.

## CAP. XI.

*Quæstiò habetur de navali illâ victoriâ quam* Aristeas *tradit de* Antigono *reportatam fuisse a* Ptol. Philadelpho. *Illam non fuisse eandem cum illâ victoriâ quam de* Antigono Magno *consecutus est* Ptolemæus Lagi; *vel si eadem fuerit,* Aristeam *de illâ insigniter delirare: contra Rev. D.* Is. Vossium & Ricciolium. *D.* Vossium *falli de festo anniversario instituto a* Ptolemæo Lagi §. 1, 2, 3, 4. *Victoriam nullam fuisse partam de* Antigono Gonatâ *per* Patroclum Ptol. Philadelphi *ducem: contra* Salianum. 5. Authoris *conjectura de victoriâ illâ, & quomodo deceptus fuerit* Aristeas. 7.

ARisteas narrans quomodo LXX Interpretes ad se missos Philadelphus Rex exceperit, inducit illum sic eos alloquentem: μεγάλην δὲ τέθειμαι τὴν ἡμέραν ταύτην, ἐν ᾗ διαγεγόνατε. καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίση-

ἐπίσημος ἔσται πάντα τὴν ζωῆς ἡμῶν χρόνον. συνέτυχε δὲ καὶ κατὰ τὴν νίκην ἡμῖν προπεπτωκέναι τῆς πρὸς Ἀντίγονον ναυμαχίας. διὸ δειπνῆσαι σήμερον μεθ' ὑμῶν βουλήσομαι. *Hic autem dies, quo vos ad me venistis, per singulos annos per totam vitam meam erit mihi solennis & magnus. Et quia contigit ut ad me veniretis tempore illo quo ego navali adversus Antigonum prælio victoriam sum potitus, ideo volo vobiscum hodie cœnare.* Si quæramus quænam ista sit victoria? respondebit [y] Cl. Is. Vossius, & cum eo [z] Joh. Baptista Ricciolius, eandem fuisse illi quam celebrat Diodorus Siculus ad annum tertium Olymp. *CXVIIIæ* libro vicesimo, quem dicit fusè hanc pugnam in eo loco describere, & disertim tradere Ptolemæum memorabili victoriâ lætum, præsentissimoque liberatum periculo, *anniversarium sacrum & annua instituisse convivia.* Qua solutione quæstionis liquidè ostenditur Rev. Virum neque Aristeæ verba satis, neque ipsum attendisse Diodorum. Constat enim in eo bello nihil adeò præclarum per classes actum fuisse, ut victoria illa navalis denominaretur: nullum enim prælium commemorat ([a]) Diodorus, nullius meminit præclaræ ναυμαχίας, qualis illa debuit esse quam Aristeas prædicat; verùm

(y) *De LXX. c. 3.*

(z) *Chronologiâ reformatâ to. 1. l. 3. c. 6. p. 140.*

(a) P. 804, 805, 806.

verùm refert Antigonum terrâ, Demetrium mari Ptolemæum ursisse, eosque propter firmissima quibus Ægyptii muniebantur propugnacula, & propter tumidiora fluenta Nili, quæ illorum cursus obstiterunt, atque tempestates, quæ classem concitatiùs invaserunt, coactos fuisse re infectâ sine ullâ pugnâ discedere; neque navalis alicujus prælii (b) Pausanias mentionem facit, ubi idem gestum celebrat; neq; (c) Plutarchus, qui de eo hoc solum reliquit: *Igitur Antigonus quum in magnas perplexitates terrâ incurrisset, Demetrius verò tempestate & ingentibus fluctibus jactatus, in loca importuosa & aspera esset ejectus multasque naves amisisset, re infectâ rediit.* De annuo etiam festo omnino fallitur eruditis. Vir; de annuo enim nihil habet Diodorus, qui tantùm dicit Ptolemæum, reverso in Syriam Antigono, præ gaudio diis sacrificâsse & deinde amicis convivium magnificè instruxisse. Verba (d) ejus sunt: Πτολεμαῖος δὲ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν πολεμίων θεοῖς χαρὰς ἄγων, καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς χαριστήρια, τοὺς φίλους ἑστίᾳ λαμπρᾷ. *Ptolemæus discessu hostium maximum in modum lætatus, sacrificio immolato Superis gratabundo, splendidum amicis epulum exhibuit.*

(b) *Atticis p.6.*

(c) *In Demetrio p. mihi 897.*

(d) *P. 805.*

3. Neque audiendus est Vir præclarus cùm dicit liquere ex ipsis Aristeæ verbis festum illud observatum fuisse quamdiu vixerit Ptolemæus Lagides; tantum enim abest ut apud Aristeam Ptolemæus Philadelphus dicat Patrem suum diem illum habuisse sacrum, ut clarissimè doceat semetipsum (non Patrem suum) diem illum fecisse nobilem & celebrem, atque id, non ante adventum ipsum *LXX*. Interpretum, si fides sit Josepho illius verba explicanti: qui indicat Philadelphum partim quia devicerit eo die Antigonum, partim quoniam *LXX*. Seniores eodem ad ipsum devenerint, voluisse illum haberi religiosum: τὴν μέν τοιγε ἡμέραν, καθ' ἣν ἦλθον πρὸς αὐτὸν, ἐπιφανῆ ποιήσειν, καὶ κατὰ πᾶν ἔτος ἐπίσημον εἰς ὅλον τὸν τῆς ζωῆς χρόνον ἐπαγγέλλετο. ἔτυχε γὰρ &c. *Diem quidem adventûs tam gratum sibi (Rex) professus est, ut quoad viveret per singulos annos redeuntem ejus memoriam colere se velle promitteret; forte enim idem erat dies quo Antigonum navali prælio vicerat.*

4. Si tamen cl. Viro placuerit, per me licebit victoriam illam à Ptolemæo Lagi reportatam, quam Diodorus aliique concelebrant, intelligere: argumen-

mentabor enim inde *ad Hominem* (ut Dialectici loqui amant) Aristeam turpissimo in errore esse, cùm tradat in illo bello commissum fuisse navale prælium, quod nullum erat, & disertis verbis asserat Ptolemæum Philadelphum (pro Ptolemæo Lagi) Antigonum Magnum bello illo debellasse, qui quidem multis annis post mortem Antigoni Magni regnare cœpit, & cùm bellum istoc gereretur vixdum natus fuit. Affirmat enim Philadelphus apud Aristeam semetipsum (non Patrem suum) de Antigono victoriam illam retulisse, ut palam erit, si ad ista respexeris verba, τὴν νίκην ἡμῖν προσπεπτωκέναι, ubi τὸ, ἡμῖν, Philadelphum, tanquam Regem, notat, sicut illud πάντα τὸν ζωῆς ἡμῶν χρόνον. Ita Josephus: ἔτυχε γὰρ ἡ αὐτὴ εἶναι τῆς παρουσίας αὐτῆς, καὶ τῆς νίκης, ἣν Ἀντίγονον ναυμαχῶν ἐνίκησε. Videtur autem Vir doctus (quantum ex ejus verbis conjecturam facio) putavisse verba hæc, quæ Aristeas & Josephus Ptolemæo Regi tribuunt, à Ptolemæo Lagi sive Lagidâ prolata fuisse; quod vehementer abhorret ab illorum mente: de Ptolemæo enim Philadelpho uterque manifestò loquitur. Ricciolius ait *Ptolemæum Lagi per eam opportunitatem LXXII.*

*Seniores convivio excepisse, ideoque id attributum Philadelpho à Josepho quia huic jam Lagides regnum tradiderat, & ob summum consensum inter eos, de quo Justinus meminit. Et sic de utriusque consensu invitatos fuisse & de utriusque consensu dimissos Judæos captivos in libertatem.* Opinatur Scripturas Græcè versas fuisse secundùm Aristeam dum Ptolemæus Lagi in vitâ fuit, scilicet eo tempore quo regnavit unà cum Filio suo, quòd non fuisse opinionem Aristeæ fusè olim demonstravi: & si Aristeas eâ mente fuisset, non potuisset tamen induxisse Philadelphum victoriam illam sibimet arrogantem, quam non ipse sed Pater ipsius adeptus fuerat, idque non per illud tempus quo uterque simul regnavit, sed annis antè viginti & amplius, quando Philadelphus non modò non potuerit bello interesse, verùm etiam vixdum (ut diximus) natus fuit. Idem addit *mirum non esse si Josephus suppressit nomen Lagidæ, cui infensus adeò erat propter abductos in captivitatem Judæos centum viginti millia, & die Sabbati dolosè captam Hierosolymam*: quod ineptissimè dicitur; neque enim nostrâ quicquam refert quid Josephus facturus fuerit, sed quid Aristeas fecit, qui victoriam

riam prædictam, cæteraſque omnes res ad Græcam Verſionem pertinentes, Philadelpho ſoli tribuit, Joſepho illum in hoc ſequente. Neque fuit Joſephus infenſus adeò Ptolemæo Lagi; cui quamvis culpæ vertat quòd Judæos tot captivos egerit, eodem tamen loco in laudibus ejus ponit quòd abductos in captivitatem beneficiis complexus fuerit, & alibi illum literis & memoriâ celebrat quòd de Judæis in Ægypto præclarè commeruerit. Et ſi fuiſſet animo in illum offenſiore, an idcirco mentiturus fuit, & Filio ejus aſcripturus quæ ille geſſit?

5. Jac. (e) Salianus locum hunc Ariſteæ de aliâ intelligit victoriâ, quam dicit Philadelphum reportâſſe ab Antigono Gonatâ ſupradicti Antigoni nepote, quando Athenienſibus contra illum opem tulerit, anno circiter regni ſui decimo octavo. Non ſine uſu fuerit ponere verba ejus in hac re: *Itaque ad Athenienſium ſubſidium Philadelphus Patroclum cum claſſe miſit, qui & fæliciter contra Antigonum pugnavit; cujus rei teſtes habemus Joſephum & Ariſteam, qui ambo affirmant eodem die tam nuncium ad Philadelphum de victoriâ navali contra Antigonum veniſſe, quàm* LXXII *Interpretes*

(e) *Annal. ad an. M.* 3785. §. 2.

*pretes Alexandriam Hieroſolymis evocato, appuliſſe. Quod non malum eſt argumentum in* (f) *hunc annum Philadelphi nobiliſſimam illam Scripturarum in linguam Græcam interpretationem a* LXXII *ſenioribus Judæorum factam incidiſſe.* Si qua temporum ratio habeatur, neceſſe quidem eſt intelligatur non Antigonus primus, ſed Antigonus Gonatas; de quo tamen victoriam Ptol. Philadelphi nullam apud Hiſtoricos nacti ſumus, quæ ad rem faciat, & pro quâ convivia annua inſtituerit. Quod enim attinet ad bellum illud, quo Ægyptii, Patrocle duce, Athenienſibus auxilium præſtiterunt, ſi ad illud Ariſteas alluſerit, (ut opinatur Salianus) rem aliter longè ſe habuiſſe, quàm ille refert, ex monumentis Hiſtoricorum probatorum liquet. In quibus legitur Philadelphi copias nihil inſigne geſſiſſe, & ne pugnam quidem cum Antigono commiſiſſe, tantum abeſt ut Philadelphus tunc victoriam navalem dignam anniverſario convivio adeptus ſit. (g) Juſtinus, ſive Trogi Abbreviator, de illo bello in hunc modum ſcribit: *Interea Antigonus cùm multiplici bello, &* (h) *Ptolemæi regis & Spartanorum, premeretur: novuſque illi hoſtis Gallogræciæ exercitus affluxiſſet, in ſpeciem caſtro-*

(f) Salianus *antè ſtatuit Verſionem factam fuiſſe anno* Philadelphi *ſeptimo definente, vel octavo inchoato.*

(g) *Hiſt. l. 26. c. 2.*

(h) Ptol. Philadelphi, *non* Euergetis, *ut quidam interpretatur.*

*caſtrorum parvâ manu adverſus cæteros relictâ, adverſùs Gallos totis viribus proficiſcitur.* Poſt quos ab illo occidione cæſos, *Ptolemæus* (id eſt Ptolomæi exercitus ſub Patroclo) *& Spartani, victorem hoſtium exercitum declinantes, in tutiora ſe recipiunt. Antigonus quoque ubi eorum diſceſſum videt, recenti adhuc ex priori victoriâ militum ardore, bellum Athenienſibus infert.* Pauſanias in (i) Laconicis mandavit literis, quòd, Antigono
'Athenas terreſtribus maritimiſq; copi-
'is obſeſſas tenente, Athenienſibus ſub-
'ſidio miſſus fuit cum claſſe Patroclus ex
'Ægypto, & Areus rex cum volun-
'tariorum Lacedæmoniorum manu.
'Et Patroclum per nuncios Areum &
'Lacedæmonios monuiſſe, ut prælium
'cum Antigono inirent; ſe interim
'Macedonum terga invaſurum, quòd
'ſui nequaquam pedeſtri acie pares
'eſſent Macedonibus, quippe qui Æ-
'gyptii & nautæ eſſent. Verùm Areus,
'quoniam commeatus ferè omnis con-
'ſumptus fuit, exercitum domum re-
'portâvit. Unde factum eſt ut Atheni-
'enſes cùm diu acriter reſtitiſſent, ut
'pacem obtinerent coacti fuerint An-
'tigono concedere ut præſidium ſi-
'bi in Muſeo imponeret. Idem in Atticis

(i) *P.* 8.

* P. 7. ticis * affirmat *Ptolemæum Philadelphum quando classem in navale Atheniensium bellum contra Antigonum miserit, per subsidium illud parum Atheniensibus in salutem contulisse, & nihil magnum fecisse.* οὗτος Πτολεμαῖος, ναυτικὸν ἔστειλεν ἐς τὴν Ἀθηναίων ναυμαχίαν ἐπ' Ἀντίγονον καὶ Μακεδόνας, ἀλλὰ καὶ ἀπ' αὐτοῦ οὐδὲν μέγα ἐγένετο εἰς σωτηρίαν Ἀθηναίοις.

6. Itaque sive Antigonum Magnum designârit Aristeas, sive bellum hoc Antigoni Gonatæ, liquet illum à recto veritatis tramite præcipitem ivisse. Præclarissimus (k) Usserius existimat *naumachiæ* ab Aristeâ celebratæ *ob historiarum ejus temporis defectum nullam alibi factam reperiri mentionem.* Quod tametsi fieri potuerit, id tamen autumo dubitationem minimè sublaturum eruditis viris & æquis rerum æstimatoribus, qui Aristeæ nomina sua nondum religiosè dederunt.

(k) *Annal. ad an. M.* 3727.

7. Si mihi, quod potissimùm de hac re sentiam, expromere liceat, facilè inducor ut credam Aristeam gloriosam illam navalem victoriam, quam Ptolemæus Ceraunus, Macedoniæ Rex, Ptolemæi Lagi filius natu maximus, de Antigono Gonatâ consecutus fuisse dicitur apud (l) Memnonem Heracleotem, ipsi

(l) *Hist.* Heraclex *apud* Photii *Biblioth. p.* 718.

ipsi Philadelpho affinxisse: idque hac de causâ, quòd, cùm accepisset *Ptolemæum filium Ptolemæi Lagi* Antigonum maritimo fudisse bello, cogitaret Ptolemæum illum fuisse Philadelphum, qui & ipse filius fuit Ptolemæi Lagi.

## *CAP.* XII.

Ariſteæ *error*, Ptolemæum Lagi *ducem fuiſſe illius expeditionis, quâ centum millia* Judæorum *in* Ægyptum *abducta ſunt captiva.*

*Quam probatur primam fuiſſe illarum, quas* Ptolemæus *in* Syriam *inſtituit, & factam fuiſſe per* Micanorem Ptolemæi *ducem.* §. 2. 4. *Captivos non fuiſſe deportatos eodem bello, quo* Ptolemæus Hieroſolymæ *urbem cepit dum* Judæi Sabbatum *celebrârunt.* 5. Hecatæi Abderitæ *liber de* Judæis, Herennio Philoni *ſuſpectus: qui ſi ſpurius fuerit, in* Ariſteam *impoſturæ crimen ex eo conflari poſſe.*

ARiſteas ſcribit Ptolemæum Lagi ad decem, ſive (ut apud Joſephum legitur) ſuper undecim, myriadas Judæorum abduxiſſe captivas, & Ægyptiis maximam eorum partem in ſervitutem tradidiſſe. Quamvis verum ſit aliquot myriadas deportatas fuiſſe; de expe-

expeditionis tamen, quâ deportatæ fuerint, circumſtantiis Ariſteas omnino fallitur; de quibus non potuiſſet in errorem deferri, ſi in palatio Philadelphi Regis floruiſſet. Atque hoc ut evincamus, ſuſcipiemus in nos probandum, primò, expeditionem illam, quâ tot Judæi in Ægyptum abducti ſunt, primam fuiſſe earum, quas Ptolemæus in Syriam fecit. Secundò, Ariſteam conſtituere Ptolemæum ipſum expeditionis illius ducem; primam tamen demonſtrabimus (in tertio loco) ſuſceptam fuiſſe, non ab ipſo Ptolemæo in perſonâ propriâ, ſed per Ducem quendam, cui exercitum is ducendum dederat.

2. Judæos in primâ expeditione in Ægyptum traductos fuiſſe ex Flavio Joſepho colligitur; qui, (m) narrato quomodò Ptolemæus Hieroſolymæ urbem die Sabbati diripuerit, Judæorumque plurimos in ſervilem conditionem rapuerit, ſubjungit, illum poſtea captivos benè benignèque habuiſſe, & addit *non paucos præterea reliquorum* (τῶν ἄλλων) *Judæorum ſponte in Ægyptum migraviſſe, partim ubertate terræ allectos, partim Ptolemæi liberalitate.* In quibus vocabulum iſtoc, *reliquorum*, indicio

(m) *Antiq. l. 12. c. 1.*

eſt Ptolemæum ingenti illi Judæorum multitudini libertatem præcidiſſe antequam altera multitudo profectionem ſpontaneam in Ægyptum ſuſciperet. Unde conficitur Judæos ſub jugum miſſos fuiſſe expeditione primâ, ſcilicet biennio poſt mortem Alexandri Magni; nam in expeditione ſecundâ (quæ contigit annis novem poſt primam, nempe anno duodecimo ab Alexandri obitu,& primo (n)Olympiadis *CXVII*, & ea fuit in quâ Ptolemæus Demetrium Poliorcetem apud Gazam fudit,) devenerunt ſponte in Ægyptum multitudo altera; Ptolemæo enim domum redeunti comites ſe dederunt, ut in libro de Judæis teſtatur (o) Hecatæus Abderites, qui cum ipſo Ptolemæo Lagi tunc temporis verſabatur. *Ptolemæus (inquit) poſt pugnam ad Gazam, potitus fuit locis Syriæ, & adjacentibus: & multi homines, cognitâ Ptolemæi comitate & humanitate, cum eo in Ægyptum proficiſci & ejus ſub auſpiciis vivere voluerunt: quorum unus erat Ezecias Judæorum Pontifex, homo ætate annorum circiter ſexaginta ſex, dignitate apud gentiles ſuos magnus & ingenio non bardus: præterea dicendi facultate pollens, & rerum gerendarum, ſi quis alius, peritus:* cujus

(n) *Vide* Syntag. de Ptol. *cap.* 8.

(o) *Cit. à* Joſepho *l.* 1. *cont.* Ap. *p.* 1048.

cujus Ezeciæ consuetudine & familiaritate Hecatæus subdit se in Ægypto usum fuisse. Josepho disertis verbis astipulatur Eusebius in Chronico ad annum *III.* Olymp. *CXIV^a*, (in qnem Diodorus Siculus primam expeditionem conjicit) prodens *Ptolemæum Lagi F. Jerosolymis & Judææ in ditionem suam dolo redactis, plurimos captivorum in Ægyptum transtuliſſe.* Huc addi potest testimonium Hecatæi Abderitæ suprà laudati, qui gestum illud (p) commemorat, scribens *multas myriadas Judæorum abductas, in Babyloniâ à Persis primùm collocatas fuisse, & non paucas etiam post mortem Alexandri in Ægyptum & Phœnicen translatas fuisse propter seditionem in Syriâ factam.* Ubi per dictionem istam, *post mortem Alexandri*, luculentè ostenditur Judæorum istam multitudinem servitutis jugo subjectam fuisse, statim ferè post mortem Alexandri; Hecatæus enim id scripsit paucis annis, viginti forsan vel circitèr, postquàm Alexander mortem oppeteret, & ipse testatur tantum abfuisse, ut Judæi in secundâ expeditione, nempe anno duodecimo ab Alexandri decessu, in captivitatem cogerentur, ut Ptolemæo ab illâ regredienti in Ægyptum, comi-

(p) *Apud* Josephum *l.* 1. *con.* Ap. *p.* 1049

comites sese addiderint Judæorum multi, allecti ejus humanitate. Accedat denique ad hæc omnia, quòd Diodorus Siculus attestetur Cœle-syriam & Phœniciam in expeditione primâ perdomitas fuisse, & Ptolemæi ditioni adjunctas; quas easdem duas regiones disertim dicit Aristeas Ptolemæum subegisse in illo bello, quo Judæi tot captivi in Ægyptum compulsi fuerint.

3. Ptolemæum ipsum in expeditionem milites suos tunc temporis eduxisse, quando Judæorum tot millia ab aris suis patriisque focis agerentur, Aristeas his verbis docet: *Ratus sum adesse tempus agendi de liberatione illorum, qui à Patre Regis traducti ex Judæâ fuerant. Nam ille adortus* (ἐπὶν γὰρ ἐπελθὼν) *partes Cœlesyriæ & Phœniciæ, cùm & viribus præstaret, & ubique fortunam haberet faventem, alios in colonias traducebat, alios captos abducebat: passimque terrore injecto ita subjugârat omnia, ut ad decem myriades ex Judæâ in Ægyptum traduceret: ex quibus circiter tres myriades, electos & armis instructos viros, assumpsit in regionem, ut in præsidiis ipsius degerent.* In edicto Regis Philadelphi de captivis manumittendis, illi, qui in Ægyptum eos per-

pertraxerunt, dicuntur συστρατεύεσθαι τῷ πατρὶ, *in militiam unà cum Patre ejus profectos esse.* Ibidem dicitur, captivos *unà cum* Patre ejus in Ægyptum venisse; συνεληλυθέναι τῷ πατρὶ ἡμῶν εἰς τὴν Αἴγυπτον.

4. Jamverò Aristeam in eo peccare, & bellum primum Ptolemæi Syriacum (quo astruximus Judæos in captivitatē tractos fuisse) non administratum fuisse ab ipso Ptolemæo præsente, sed per ducem ejus (q) Nicanorem, Diodori Siculi, authoris severissimi, testimonio manifestum redditur. (r) *Ptolemæus* (inquit) *advertens Phœniciam, Syriamque quæ Cava dicitur, Ægypto perquam commodè adjectam, multum in hoc opere dedit, ut urbibus illis potiretur. Nicanorem igitur unum ex amicis ducem creat, & cum justis illuc copiis mittit. Is expeditione in Syriam factâ, Laomedontem regionis Satrapam capit, Syriamque totam in potestatem redigit. Ita Phœniciæ quoque urbes subigit, præsidiisque munit, & operosâ inter breve tempus expeditione perfunctus in Ægyptum redit.* Suffragatur huic rei anonymus Author Anagraphes Olympiadum ad annum *IIII.* Ol. *CXIVæ.* Πτολεμαῖος ὁ Λάγου πάσης τῆς Συρίας ἐκυρίευσε διὰ Νικάνορος στρατηγοῦ.

(q) *Non* Seleucum Nicanorem, Babylonis *postea regem, quod* Saliano *placitum, sed alium.*

(r) *L.* 18. *p.* 622.

πγῶ. ad quem annum quamvis id gestū conferat, non dissentit tamen à Diodoro, qui illud prodit ad præeuntem annum; facta fuit enim incursio verno tempore, exituro quasi anno tertio Ol. *CXIV^e*, & finita post initium anni quarti; incepit enim annus Olympiadicus mediâ circitèr æstate.

5. Lectorem non celandum est, quod ab (f) Agatharchide monumentis traditur, Hierosolymam captam fuisse die Sabbati, Ptolemæo ipso præsente & duce: εἰσιόντος εἰς τὴν πόλιν Πτολεμαίου μετὰ δυνάμεως &c. unde, cùm Josephus & Eusebius doceant captivos abductos fuisse in eo bello quo Ptolemæus Hierosolymæ urbem, Judæis Sabbatum celebrantibus, expugnaverit, videtur argumentum pro Aristeâ desumi posse. Cæterùm multo tanto facilius est credere Josephum (Eusebium enim is fefellit) de eâ re à veritate paululum aberrâsse, quàm vel captivos factos non fuisse in primo bello Syriaco, vel primo illi bello ipsum præfuisse Ptolemæum, non Nicanorem, de quo tam expressum habemus testimonium Diodori & Anagraphes Olympiadum. Cùm enim Josephus accepisset, Ptolemæum Hierosolymam cepisse dum cives in Sabbato

(f) *Apud* Josephum *cont.* Ap. *l.* 1. *p.* 1050.

bato otiarentur, atque etiam Judæorum multos patriis de ſedibus exturbâſſe, errore facillimo cogitare potuit eodem id tempore confectum, quod in aliâ expeditione factum fuerit: conſtat enim Ptolemæum Hieroſolymæ urbem vicinaſque regiones armis ſuis obtinuiſſe ſæpius, ſæpiuſque, Antigono earum potito, amiſiſſe. Atque hæc fortaſſe res Ariſteæ ipſi anſam erroris præbuit, quòd putârit Judæos in ſervitutem tunc abductos fuiſſe, cùm die Sabbati Ptolemæus urbem invaderet.

6. Reliquum eſt aliud, quod præterire non debemus, nempe Hecatæum Hiſtoricum in libro de Judæis (è quo ſuprà teſtimonia produximus) adeò laudâſſe Judaicæ gentis ſapientiam, ut Herennius Philo (ſicut ſcribit (t) Origenes) in ſuis de Judæis Commentariis exiſtimaverit, vel eum correptum fuiſſe Judæorum perſuaſionibus, probaſſeque illorum placita, vel hujus Hiſtorici id ſcriptum non fuiſſe. Si poſterius verum ſit, authoritas ejus libri multùm infirmaretur: non tamen tolleretur tota; & nulla eſſet dubitandi ratio utrùm in primâ Ptolemæi expeditione Judæi in captivitatem mitterentur necne, ſiquidem alia ſint in eam

(t) *L. 1. contra Celſum. p. 13.*

rem teſtimonia. Et ſanè, ſi ſequacibus Ariſteæ placeat, libenter illis concedemus librum illum de Judæis, non ſcriptum fuiſſe ab Hecatæo ipſo, verùm editum fuiſſe à Judæo aliquo ſub ejus nomine; quippe quod in novum cedet argumentum adverſùs Ariſteæ librum. Ariſteas enim, qui Hecatæo cœvum ſe, licèt paulò juniorem, credi voluit, Hecatæi teſtimonium ex eo libro affert; unde conficeretur Ariſteam tantæ antiquitatis ſcriptorem non fuiſſe quantam præ ſe fert; cùm dubium nemini eſſe poſſit, quin liber ille, ſi ſpurius fuerit, ederetur diu poſt mortem Hecatæi.

*CAP.*

## *CAP.* XIII.

*In dubium revocantur varia, quæ ſcribit* Ariſteas *de* Judæis *captivis & eorum manumiſſione.*

Petri Comeſtoris *inepta conjectura.* Judæi Ægyptienſes *hodierni unde orti* §. 2. Judæorum *fabula de* Eſdrâ *Prophetâ in Aulâ* Ptol. Philadelphi *commorante. Antiquorum ſententiæ variæ de cauſâ manumittendi* Judæos *Captivos.* 3. *Non videtur probabile* Ptolemæum Lagi Judæos *tot abductos in* Ægyptum *dediſſe in ſervilem conditionem. Illum benevolum erga illos ſeſe præbuiſſe.* Judæorum Cyrenaicorum *origo.* 4. *Malè dici* Judæos *propter nullum ſuum crimen abductos fuiſſe captivos.* 5. Ariſtæam *videri ignorâſſe* Alexandrum M. *coloniam* Judæorum Alexandriâ *collocâſſe.*

COmperimus, Hecatæo teſte, Judæos illos, quos ex patriâ Ptolemæus deportavit, non fuiſſe omnes in Æ-

gyptum actos, ſed partim in Ægypto, & partim in Phœnicià collocatos; cùm è contrà Ariſteam cogitâſſe illos omnes in Ægyptū pertractos fuiſſe, ex eo colligi poſſe videtur, quòd tantam illorum multitudinem, nempe ſupra centum millia in Ægypto numeret, & quòd, (u) ubi de deportatione agit, de diſpoſitis in Phœnicià nullam mentionem faciat, niſi forſan illos deſignet, cùm dicit *alios in colonias traductos fuiſſe.*

(u) *Loco ſuperiori capite allegato.*

2. Marinus Sarnutus (x) Torfellus ſcribit *Captivos Judæos, venditioni in Ægypto a Ptolemæo expoſitos, a negotiatoribus nationum diſtractos fuiſſe, & per orbem diſperſos pluſquàm in aliquâ captivitate: propter quam* Act. 11. *dici, quòd convenerant in Jeruſalem, ex omni natione quæ ſub cœlo ſunt.* Eadem habent cùm alii, tum Petrus (y) Comeſtor, quem cæteri (ut opinor) ſecuti ſunt. Quæ quidem nihil aliud ſunt, quàm nuda conjectura, & ab illis, qui hiſtoriam Ariſteæ receperunt, ineptiſſimè proferuntur. Tradit enim Ariſteas captivos in Ægypto, ſive ſub Ægypti ditione, commoratos fuiſſe, & à Philadelpho tandem pleroſque omnes Penatibus reſtitutos. (z) Joſ. Scaliger non credit illos in integrum fuiſſe reſtitutos, verùm

(x) *Libro Secretorum Fidelium Crucis l. 3. parte 1. c. 10.*

(y) *Hiſt. Scholaſticâ.*

(z) *Ad num. Euseb 1731.*

rùm numerosas illas synagogas Ἑλλη-
νίδων sub regibus Ptolemæis, & innu-
merabilem multitudinem Judæorum
Ægyptiensium hodiernorum, item Sa-
maritas, qui adhuc in urbe Cairo mo-
rantur, existimat non aliunde quàm ex
hac deportatione propagatos. Quod
licèt ex parte verum sit fortasse, illud
tamen ut cogitaret non necesse fuit,
cùm certissimâ historiarum fide liqueat,
Judæorum examina in Ægyptum sæ-
piùs transmigrâsse. Ingens multitudo
sub Alexandro Magno in eâ regione se-
des sibi fixit: &, ut mittam quos hu-
manitas Ptolemæi Lagi illuc pertrax-
erit, infinita procul dubiò turba in eam
terram peregrè tunc exivit, quando
templum ibi ab Oniâ Sacerdote, reg-
nante Ptolemæo Philometore, conde-
retur; (a) neque potest dubitari, quin
multa alia agmina in illud sese regnum
contulerint.

3. Ut non negaverim remissos fuisse
in patriam à Philadelpho Judæos ali-
quot, ita omnibus rebus quas de illâ
manumissione Aristeas prodit vix pos-
sum fidem attribuere. Constat enim,
à Judæis de illâ ficta fuisse multa, qui-
bus veritas non constat, & quæ maximè
inter sese pugnant. Istorum aliqui eo-
usque

(a) Josephus l. 13. *Antiq. c. 6. & l. 7. de bel. Jud. c. 30. S. Hieron. Comment. in Dan. p. 522.*

uſque provecti ſunt deliriorum, ut ſomniarent Eſdram Scribam (qui tertio ferè ſeculo Philadelphum anteceſſit) authorem ejus beneficii extitiſſe. Judæis enim acceptum id videtur referendum, quod (b) Gotfridus Viterbienſis monumentis ſuis conſignavit. *Iſte Philadelphus*, inquit, *dicitur Eſdram Prophetam in palatio ſuo tenuiſſe chariſſimum, & ejus petitione Judæos maximè ab exilio revocâſſe.* Ariſteas noſter, & ex eo Flavius Joſephus, Euſebius, alii, Judæos perhibent ad pileum vocatos fuiſſe Verſionis impetrandæ gratiâ: Judæus verò iſte, qui ſub nomine Ariſteæ mentitus eſt librum illum quem legit Epiphanius, tradit illos libertate donatos diu ante Interpretationem Legis, & non illius cauſâ: (c) Joſephus Gorionides, (ſuffragante Petro Comeſtore) ſcribit illos à ſervitute expeditos fuiſſe poſt confectam Verſionem.

(b) *Chron. parte XI.*

(c) *Hiſt. Jud. l. 3. c. 2.*

4. Ariſteas tradit Ptolemæum Lagi centum circitèr Judæorum millia patriis de ſedibus in Ægyptum deduxiſſe, & illorum circà triginta millia, electos & armis inſtructos viros, qui ætate & robore præſtârunt, in præſidiis ſuis collocâſſe; *reliquam turbam ſeniorum ac juniorum, & mulierum etiam, conceſſiſſe*

*esſiſſe militibus in ſervitutem non tam ſponte & conſilio quàm exoratum ab illis, ad uſus & neceſſaria in belli rebus miniſteria.* Præter quos, numerat in Ægypto captivos Judæos alios quos Perſæ olim in illam regionem deportaverint, adeò ut numerus illorum Judæorum qui in Ægypto afflicti ſunt ſervitute durâ, privatis ſubjecti dominis, exceſſerit centum millia. Quâ quidem de re non poſſum non dubitare, quia Ptolemæum Lagi Judæis, quos in Ægyptum per duces ſuos abduxerat, benigniſſimè feciſſe argumenti ſatis eſſe videtur, quòd reliquorum Judæorum multi, (uti produnt Hecatæus & Joſephus) beneficentiâ & humanitate ejus uſqueadeo allecti fuerint, ut ſponte poſt illam captivitatem in Ægyptum devenerint, & ſub ejus potius auſpiciis maluerint quàm in patriâ vivere. Quod mirum eſt illos feciſſe, ſi Compatriotæ tot ipſorum ſervitute gravi premerentur. Adde, quòd (d) Joſephus teſtis eſt Ptolemæum Lagi beneficia multa apud Judæos in Ægypto poſuiſſe; & memoriâ ſuâ extitiſſe illius Epiſtolas de privilegiis Judaicæ genti concedendis Alexandriæ; atque (e) *illum eos donaviſſe civitatis jure æquali cum ipſis Macedoni-*

(d) *L. 2 contra Ap.*

(e) *Antiq. l. 12. c. 1.*

*cedonibus.* Mirandum eſt præterea Ptolemæum Lagi triginta (f) vel quadraginta Captivorum Judæorum millia in præſidiis ſuis diſpoſuiſſe, ſi illorum tot Populares in ſervitutem atrem addixiſſet. Quomodo ſperare potuit illos intemeratæ fidei futuros? qui viderentur, magis quàm alii quivis, res novas molituri, ut Cives ſuos, Patres, Matres, fratres, ſorores, filios, filias, conſanguineos, & amicos, eximerent ſervitute, patriæque compotes facerent. Propius ſanè fidem videtur Judæos in Ægyptum abſtractos, maximâ ex parte libertatem habuiſſe conceſſam à Ptolemæo Lagi, cujus clementia magnopere (g) celebratur. Et videtur Ptolemæum Philadelphum volentem (ut legitur) civitates exteras ſibi obligare, facultatem eis permiſiſſe, ut quotquot vellent ſuam in patriam ſe reciperent. Unde crediderim Ariſteam occaſionem cepiſſe fingendi tantam Judæorum multitudinem exemptam fuiſſe vinculis. Quibus addidit tanta beneficia collocata fuiſſe, ut à Judæis ipſorum Lex & Interpretes impetrari poſſent: quod quidem nullo modo concedam, etſi de cæteris non contendero ſi quis duriorem ſe præbuerit. (h) Joſephus ſcribit *Ptolemæum Lagi*

(f) *Præter 30000 illorum quos ipſe abduxerat, multis illorum quos Perſæ captivos egerant, præſidia commiſiſſe dicitur in Epiſtolâ Regis ad Pontificem.*

(g) *Adi* Diodorum Siculum *l. 19. p. 718.*

(h) *L. 2. contra Ap.*

*Lagi non solùm Ægypti munitiones Judæis captivis commisisse, verùm etiam cùm Cyrenarum & reliquarum Africæ urbium imperium tenere vellet, in eas partes misisse partem Judæorum ad habitandum:* à quibus videntur orti Judæi Cyrenaici, quorum mentio habetur in Novo Testamento.

5. In decreto Regio de manumittendis captivis Judæis, illius manumissionis hæc redditur ratio: *Nam arbitramur illos neque ex Patris nostri voluntate, neque ut decet & æquum est, captos fuisse: sed ex militari impetu & regionem vastatam, & Judæorum in Ægyptum traductionem factam. Nam quod commodi contigit ex auxilio militum regionis, hoc satis magnum fuit: quia verò homines etiam ipsi sunt captivi adducti, hoc est omnino iniquum. Cum ergo constitutum habemus reddere omnibus jus suum, & multò magis illis qui sine ratione sunt sub imperio alieno: cúmque ubique & in omni negotio eligamus quod rectum sit ratione & justitiæ & pietatis: ideo mandavimus*, &c. In quibus dicitur Judæos nullo suo crimine è patriâ fuisse exturbatos a Ptolemæo Lagi, quod falsum esse docet Hecatæus, testatus illos ideo translatos in Ægyptum & Phœnicen, quòd

in Syriâ ſeditiones motuſque conciverint. Et facillimum eſt percipere hæc omnia nihil aliud eſſe quàm Judæi alicujus declamationem contra Ægyptios, qui Judæos tot captivos duxerint.

6. Ariſteas dicens centum millia Judæorum in Ægyptum abducta fuiſſe à Ptolemæo Lagi, addit: *Sed antè quoq; ſatis multi pervenerant cum Rege Perſarum, & ante hos alii, ut auxiliarii miſſi erant ad Pſammetichum, quorum pugnarent adverſùs Regem Æthiopum: verùm illi non tot multitudine erant quot ſecum abduxerat Ptolomæus ille Lagi F.* Quo in loco recenſet diverſas Judæorum multitudines quæ in Ægyptum variis temporibus migraverunt ante regnum Ptolemæi Lagi; & videtur exiſtimâſſe illas ſolas fuiſſe; cùm tamen (Ariſteæ pace) conſtat Alexandrum Magnum paulo ante regnum Ptolemæi Lagi coloniam Judæorum deduxiſſe in Ægyptum, (i) partemque urbis ſuæ, quã condiderat, Alexandriæ, dediſſe illis ad incolendum, conceſſo illis privilegio pari cum ipſis Macedonibus: teſte (k) Joſepho & poſt illum (l) Hegeſippo.

(i) *Vide* Syntag. de Ptol. *c.* 2.
(k) *L.* 2. *contra Ap. p.* 1063.
(l) *Anacephalaoſi de Excidio, urbis* Hieroſol.

CAP.

## CAP. XIV.

*Verisimile non esse*, Demetrium Phalereum Ptol. Philadelphum *Regem adiisse per Epistolam, sicut scribit* Aristeas. §. 1. Aristeas *rem absurdæ Tautologiæ.* 2, 3. *Sibi-ipsi contradicit.* 4. *Tres Epistolas* Ptolemæi *Regis*, Eleazari *Pontificis*, & Demetrii Phal. *quæ apud illum extant, unius ejusdemque hominis stylum esse.* 5. *Epistolam* Demetrii, Hen. Valesii *judicio, insulsam esse, & barbaris vocibus plenam, indignamque* Demetrio. 6.

JOH. Wowerius (m) ait *Demetrium ridiculè Regem præsentem per epistolam alloqui*; quæ objectio ut tollatur, Rev. D. (n) H. Vossius respondet, Reges etiam ab iis qui in eâdem Aulâ versantur adiri literis & libellis supplicibus & olim & nunc *trálativum* esse; quod etiam ante illum concesserat ipse Aristeæ adversarius illustris (o) Scaliger, locum hunc ex Plauto adducens. *Quasi regem*

(m) *De Bibliorum Interp. c. 4.*

(n) *De LXX Interp. c. 4.*

(o) *Ad nū.* Euse. MDCCXXXIV.

*regem adiri ſolere eum aiunt per epiſtolam.* Quod quamvis dubitem an dictum fuerit de degentibus in Aulâ Regis, non nego tamen in more Regum aliquorum poni, à domeſticis ſuis conveniri per epiſtolas, quippe (p) legi licere nemini, præter Uxores, Liberos, & Eunuchos, aliter ac ſcripto adire Chinenſium Regem. Veruntamen vehementer ambigo, an per ejuſmodi conſuetudinem Ariſteas excuſari poſſit. Conſtat enim non fuiſſe in moribus Ptolemæorum, tanto cum honore conveniri, ſed acceſſum fuiſſe facilem & familiarem ad Ptolemæos, cùm cæteros tum Philadelphum, illoſque ſe in ſermonem aliorum dare familiariter conſueviſſe. Et quamvis domeſticorum ſervorum vulgus tali fortaſſe cultu & veneratione Philadelphum proſecuti fuerint; id tamen non probabile eſt de Demetrio Phalereo, quem oportuit fuiſſe virum ipſi Regi officiis, uſu, conſuetudine conjunctiſſimum. Et ſanè cùm paulò ante collocutus fuiſſet cùm Rege de libris Judæorum in Bibliothecâ reponendis; abſonum extra modum, & abſurdum fuerit, illi non fuiſſe copiam conveniendi Regem, cùm hic conſilium ipſius de libris deſcribendis exquiſierit; ſed in man-

(p) D. Thomæ Herbert *Itinerario p.* 376.

mandatis à Rege accepisse ut tantummodò scriberet quid animi sui esset. Nonne verisimile est Regem voluisse consilia cum illo per colloquium miscere, atque ita elicere atque explorare quid consultius esset? Quod dicit Aristeas Demetrium ideo à Rege mandatum habuisse, ut consilium suum de libris describendis per epistolam offerret, *quòd apud Ægyptios Reges nihil inconsideratè & temerè, sed omnia ex mandato & cum magnâ diligentiâ administrata fuerint*, videtur satis per illa refutari, quæ ipse paulo antè scribit, non solùm de Demetrio sermones familiares cum Rege conferente de Lege Judæorum in Bibliothecâ recondendâ, verùm etiam de seipso petente ab illo inter *colloquendum* sine ullâ Epistolâ, ut Judæos captivos donaret pileo, & de Sosibio & Andreâ cum Rege de re eâdem sermones conferentibus, & illi consilium dantibus. Nec videtur illud scriptum fuisse ullam aliam ob causam, quàm quòd putârit Aristeas Historiam suam confirmatum iri per productam de opere Versionis Epistolam, & necesse habuerit reddere rationem talem aliquam, cur Epistola illa scriberetur, ne Lectori absurdum illud videretur. Scaliger observat ex

Jose-

(q) *Antiq. l.* 13. *c.* 6.

Joſepho Oniam (q) Judæum Sacerdotem, familiarem Regi Ptolemæo Philometori, huic obtuliſſe Epiſtolam de conſtruendo Templo in Ægypto, cùm tamen (ut inquit) ab Aulâ ejus non receſſerit. Atqui hoc (Scaligeri veniâ) non modò non conſtat verum eſſe, ſed etiam videtur eſſe falſum. Oniam enim non fuiſſe in Palatio quando Epiſtolam ad Regem dederit, inde colligi poteſt, quòd Epiſtolam (Joſepho teſte) Rex illi reſcripſerit, minimè facturus ita proculdubio, ſi Onias adfuiſſet.

2. Verùm enim verò ſi fingamus Philadelphum Regem Demetrio præcepiſſe, ut per Epiſtolam ſignificaret quid ſibi videretur faciendum, ſi tamen in Epiſtolam ipſam conjiciamus oculos, apparebit tam inepta, tamque abſurda eſſe, ut quod maximè. Cùm Rex Demetrium interrogaret, quot librorum myriades in Bibliothecâ repoſitæ fuerant, Ariſteas ſcribit illum, reſponſo dato, ſubjunxiſſe, *narratum fuiſſe ſibi Judæorum etiam Leges dignas fuiſſe quæ deſcriberentur, & in regiam Bibliothecam ſeponerentur; indiguiſſe autem illas interpretatione, utpote quæ Hebraica ſcriberentur idiomate.* Quibus auditis, Rex conſtituit mittere ad Pontificem Judæ-

Judæorum, ut quæ expoſita fuerint perficerentur; atque captivos Judæos in libertatem vindicavit, ut abillo impetrari poſſet, quod in votis habuit. Poſt peracta hæc omnia, juſſit (ut diximus) Demetrium ſententiam ſuam ſcripto offerre de libris Judæorum deſcribendis, quod Demetrius (inquit Ariſteas) fecit, & in Epiſtolâ ſuâ in hunc modum ſcripſit: *Ego hactenus non ſegnem* in inſtruendâ Bibliothecâ tuâ *navavi operam, & nunc præterea ad te refero Legum Judaicarum libros cum paucis quibuſdam deeſſe. Conſtant enim hi linguâ & literis Hebraicis------ Rectum autem fuerit, & hos libros accuratè elaboratos extare inter tuos: quia hæ leges & ſapientiores & ſanctiores ſunt aliis, ut quæ ſunt divinæ.* Quàm diſſentaneum eſt rationi, quàm abhorrens ab omni veritatis ſpecie, Demetrium in Epiſtolâ monitum feciſſe Regem de illa re, tanquam ſi illi nova & prorſus inaudita fuiſſet, quam ipſe paulo ante docuerat Regem, & ſcivit illi fuiſſe notam.

3. Conſentaneum eſt, quòd Demetrius in eâdem Epiſtolâ ait, *cùm alios Scriptores & Poetas, tum Hiſtoricos omnes abſtinuiſſe a mentione librorum Judaicarum Legum, & Virorum illorum qui*

*per*

*per Leges illas adminiſtrârunt unquam rempublicam, propter ſapientiam & ſanctitatem illarum*: in fine tamen libri inducitur Rex Demetrium percontatus, *Quare tanti operis nullus Hiſtoriographorum aut Poetarum aggreſſus ſit mentionem facere?* Adeóne fallax & infirma fuit Regi memoria, ut quod antè dicerat ex Epiſtolâ, protinus illi defluëret ex animo? Hiccine eſt Ariſteas ille, Ptolemæi Purpuratus? Hiccine vir doctiſſimus, qui Lectorem tantis vexat ineptiis, ſeque tot abſurdis propinat deridendum?

4. Notandum eſt inſuper Demetrium in Epiſtolâ prædictâ ſibi non conſtare: in initio enim ubi Rex rogaret illum, quot myriades librorum in Bibliothecâ fuerant, reſpondit fuiſſe *myriadas viginti*, multò verò plures, nempe 30 vel 50 myriadas, reſtitiſſe reponendas, quas promiſit ſe reconditurum intra breve ſpatium: ὑπὲρ τὰς εἴκοσι, βασιλεῦ. πληρώσω δ' σὺν ὀλίγῳ χρόνῳ σπεύδ τὸ πληρωθῆναι πεντήκοντα μυριάδας τὰ λοιπά. *Aſſunt, Rex, ultra viginti: ſed brevi efficiam, ut reliquis adimpleantur myriades quinquaginta.* In Epiſtolâ verò paucis pòſt diebus ſcriptâ declarat Regi *paucìſſimos libros* Bibliothecæ defuiſſe, nempe

nempe libros Legis Judæorum *cum aliis quibusdam paucis*: τῶ νόμω τῶν Ἰουδαίων βιβλία σὺν ἑτέροις ὀλίγοις ποιν ἀπολείπει. Ita legitur in noſtris codicibus,& apud Euſebium: Joſephus habet tantùm σὺν ἑτέροις, quod tamen idcirco non putandum eſt illum legiſſe in ſuo Ariſteæ codice, cùm illi tam ſolenne ſit à verbis Ariſteæ recedere.

5. Scaliger, & poſt illum (r) Wowerius, & Rivetus, ex ſcribendi genere argumentum petunt contra Ariſteam, & dicunt exemplaria trium Epiſtolarum, quæ habentur apud Ariſteam ſub nominibus Regis, Pontificis Judæorum, & Demetrii, unius ejuſdemque hominis ſtylum eſſe, idque manifeſtò patere cuivis harum rerum perito. Hoc eâdem, quâ affirmant illi, confidentiâ negant Serarius & Gretſerus, non habentes quo objectionem illam diluerent. Clariſ. D. Iſ. Voſſius fatetur rem ita ſe habere, reſpondet verò Ariſteam non voluiſſe ipſa Epiſtolarum verba, quibus à ſcribentibus dictatæ fuerant, proferre, verùm ſuo ſtylo exarâſſe ſingularum ſenſum. Quod reſponſum tale eſt, quale forſan ſatis illis faciat, qui in opiniones inveteratas pedarii concurrunt ſuperſtitioſè, cæterùm

(r) *De Bibl. Interp. c. 4.*

rum illis, qui ſine ullo præjudicio veritatem inveſtigant, nequit non videri merum ſubterfugium. Minimè enim veriſimile eſt Ariſteam, ſi ſcripſiſſet Philadelphi Regis tempore, mutaturum fuiſſe ſtylum ipſius & cæterorum ad ipſum Epiſtolarum. Et doctiſſimum ipſum Voſſium humiliter rogatum hoc unum vellem, utrùm ipſe, ſi geſtum aliquod Principum hujuſce temporis mandaret literis, illorum Epiſtolas Latinè ſcriptas, non ipſorum ſed proprio ſtylo editurus ſit?

6. Si quis neget Epiſtolas prædictas, ejuſdem hominis ſtylo conſcriptas fuiſſe, teſtimonium habemus viri eruditiſſimi (f) Henrici Valeſii, Epiſtolam Demetrii Phalerei planè inſulſam eſſe, & barbaris vocibus plenam, cùm tamen conſtet Demetrium Phalereum fuiſſe excellentiſſimum magiſtrum Atticæ eloquentiæ. Atque illud quidem ſi detur nobis (quo de Lector viderit) argumentum erit non ſolùm illam non fuiſſe reverâ Demetrii, verùm etiam non deſcriptam fuiſſe ſtylo Ariſteæ Aulici Philadelphi Regis, qui, cùm tantus Vir eſſet, ut primas ferè partes apud Regem habuerit, credendus eſt peritiſſimus fuiſſe Græcarum literarum

(f) *Not. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 9.*

terarum, politiſſimuſque ſcribendi artifex.

## *CAP.* XV.

Ariſteas *refert, in* Ægypto *nulla fuiſſe Exemplaria* Judæorum *Legis ante confectam Verſionem* Græcam, *quod videtur incredibile.* §. 1. *Ineptia quædam* Judæum *Scriptorem referentes.* 2, 3.

ARiſteas in exordio libri refert Ptolemæum Regem, ut Judæorum Legem obtineret ex Hebraico in ſermonem Græcum transferendam, Hieroſolymam legatos miſiſſe ad Eleazarum Judæorum Pontificem maximum, διὰ τὸ γεγράφθαι παρ' αὐτοῖς ὑπὸ διφθέραις Ἑβραϊκοῖς γράμμασιν, *propterea quòd illa Hebraicis literis conſcripta membranis apud illos extaret.* Per, *illos*, Hieroſolymorum ſive Judææ incolas deſignat, ut hinc apparet, quòd eam reddit rationem quare Rex Hieroſolymam miſerit. Atque hinc conſequitur Ariſteam exiſtimâſſe Hebraïcos libros in Judææ ſolâ repertos

repertos fuiſſe; apud Alexandrinos Judæos, ſive illos qui in Ægypto vixerunt, extitiſſe nullos. Epiphanius etiam ex quodam Ariſteæ codice ſcribit Regem, rogantem Bibliothecæ Præfectum de Judaicis libris quo in loco haberentur, tuliſſe hoc reſponſum: *Hieroſolymis & in Judæâ exiſtunt libri Prophetarum Divini qui de Deo, & mundi creatione & aliâ omni ad communem utilitatem conducente doctrinâ tractant.* Jamverò quàm falſum illud ſit, Judæos in Ægypto, regnante Ptol. Philadelpho, nullos habuiſſe Legis ſuæ libros, adeò in promptu erit ut non eguerit diſputatione, ſi perpendamus quanta multitudo Judæorum, & quàm diu, in Ægypto degerit. Ariſteas meminit centum millia Judæorum fuiſſe in Ægypto, quos Ptolemæus Lagi illuc abduxerat, annis fermè ſexaginta (vel etiam eo amplius) ante Scripturas Græcè tranſlatas: præter quos, dicit aliam fuiſſe multitudinem illuc antè abductam à Perſis, & aliam præterea diu antè conſediſſe in Ægypto uſque à temporibus Pſammetichi Regis. Quorum poſteriores ſui juris fuiſſe, non eſt in dubio, cùm auxilio miſſi fuerint Ægyptio Regi adverſùs Æthiopas: Neque veriſimile

ſimile eſt (ut oſtendimus ſuprà) cæteros illos, quos Ptolemæus Lagi in Ægyptum tranſtulit, datos fuiſſe in ſervilem conditionem. Et ſi ſervitutis jugo ſubjecti fuiſſent, concipi tamen nequit, in tantâ multitudine nullos fuiſſe Sacerdotes, vel Sacerdotes nullos (neque ullos alios) Legis ſuæ libros ſecum aſportâſſe. Præter hos, ex Joſepho docui Alexandriæ multos vixiſſe Judæos à tempore uſque Alexandri Magni, annis plus ſexaginta ante tempus, quo Ariſteas voluit S. Legem Græcè verſam fuiſſe, qui non modò libertate ſuâ fruebantur, verùm etiam participes civitatis fiebant civiliumque munerum. His adde illos, quos ex Hecatæo indicavimus ex Judæâ in Ægyptum cum Ptolemæo Lagi ſponte migraviſſe, ut in illâ regione viverent, inter quos Hecatæus commemorat fuiſſe quendam Judæorum Pontificem, virum apud ſuos magnæ dignitatis & exiſtimationis. Inter quos quidem Judæos, nullos libros ipſorum Legis reperiendos fuiſſe, abſurdum planè mihi videtur & fidei prorſus abſonum. Neque iſtud ſcripſiſſet vel credidiſſet Ariſteas, niſi vixiſſet poſt tempora Ptolemæi Philadelphi, quando Hebræi codices apud Palæſtinos

nos solos in usu fuerunt, & Alexandrini Judæi nullos habuerunt, codicibus Græcis publicè in Synagogis privateque lectis. Quâ de causâ somniavit nullos fuisse libros Hebraicos in Ægypto Ptol. Philadelphi tempore, quoniam suâ memoriâ in eâ regione fuerunt nulli.

2. Alio in loco dicitur quòd Eleazarus, summus Sacerdos, *LXX.* Viros ad Regem dimisurus, διὰ ὅρκων ἐπιστοῦτο, μὴ προΐεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, εἴ τις ἑτέρα χρεία πρὸς τὰ κατ' ἰδίαν αὐτῷ κατεπείγοι, *juramentis affirmabat se illos non missurum, si quod aliud suum negotium instaret.* Quo quid ineptius scribi potuit? Nonne absurdum est Pontificem Maximum, Virum sapientem omnesque proculdubiò urbanitatis numeros obiturum, ausum fuisse istiusmodi quicquam fastidiosè effutire coram Legatis Regis tanti? Adeòne ingratum putes & insolentem, adeòne porrò rudem, incivilem, rusticum, ut diceret se minimè per illos viros inserviturum Regi, si quid sui fuisset sibi negotii? Regi, qui nuperrimè tot nominibus totam sibi Judæorum gentem obligaverit, supra centum millia captivorum sui juris fecerit, numerato ex fiscis regiis redemptionis pretio, & munera

munera donariaque inæſtimabilia Hieroſolymam miſerit. Nonne indecorum præterea, & impium planè fuiſſet in Pontifice, viro graviſſimo & ſanctiſſimo, tam frivolè & ſine ullâ cauſâ juſjurandum interponere? Cæcus ſanè eſt, qui non perſentit, imprudenter & ineptè confictum hoc fuiſſe, quò conciliaretur illis *LXX* Viris æſtimatio, quibus datum dicitur negotium de Scripturis Græcè vertendis, ut ſuaderetur ſcilicet, illos viros fuiſſe tales, quales alios per Judæam totam fruſtra quæſiviſſes.

3. Dan. (t) Chamierus contra Hiſtoriam Ariſteæ objicit λεπτολογίας, ſive potius μικροφιλοπμίας quaſdem, quæ in in eâ reperiuntur, nempe tenuia exiguique momenti quædam tanquam magna extolli. Inter quæ recenſet *LXXII* reſponſiones, quas ſinguli Seniores adhibuerunt ex tempore ſingulis Regis quæſtionibus; *Mirum* (inquit) *quantis laudibus evehuntur, quantis acclamationibus excipiuntur, quaſi nihil unquam vel æquale vel ſimile auditum eſſet, quaſi illa majora eſſent quàm quiſquam credere poſſet. Nam & hoc ab Ariſteâ aſſeritur.* (Fallitur doctiſſimus (u) Simonius qui exiſtimat Ariſteam id dicere de totâ hiſto-

(t) *Panſtratiâ Cathol. l. 13. c. 4. de Scripturâ.*

(u) *Hiſt. Critica l. 2. c. 2. §. 3.*

hiſtoriâ ſuâ.) *Hoc* (addit Chamierus) *aliaque ſimilia colligi poſſunt humilis ingenii indicia, parum digna Ariſteâ, quem magnum aliquem virum eſſe oportuit, magnis rebus innutritum, tantoque Regi familiarem.* Quâ quidem de re cum Chamiero facilè conſentient illi, qui, expliciti præjudicio, rationis & veritatis normâ judicium ſuum direxerint.

---

CAP.

## CAP. XVI.

*Quod tradit* Aristeas, Demetrium Phal. *jussisse ut diris execrationibus devoverent illos, qui in* Græcâ Versione *quicquam immutarent*, Judæum *omnino sapit. Probatur moris fuisse neque* Græcorum (*vel* Romanorum) *neque* Ægyptiorum, *neque* Judæorum, *diris quenquam solenniter incessere, nisi in rebus momenti maximi, & in magnâ necessitate, quæ in negotio* Versionis *nulla fuit.*

UT multa sunt ἀνιστορικῶς, multa ineptè dicta, quæ non potuerunt scribi ab aliquo, quocum usus magnus fuerit Ptol. Philadelpho Regi, ita præterea pleraque sunt (præter ista notata modò) quæ Judæũ planè scriptorem sapiunt: quale illud in primis est, quod dicitur de imprecationibus factis post peractam interpretationem Legis. Aristeas ait Demetrium, absolutâ interpretatione, illam prælegisse coram mul-

titudine; quæ ut perlecta fuerit, *adstantes sacerdotes* Judæorum, *& interpretes seniores, gubernatoresque civitatis, & ipsos principes multitudinis, dixisse: Quoniam rectè, sanctè, & per omnia accuratè perfecta est ista interpretatio; par est ut omnia permaneant in suo habitu, nec ulla fiat immutatio. Et omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus,* Demetrium *jussisse illos, ut haberent in more, imprecari diras illi, si quis immutaturus esset aliquid, vel addendo, vel transferendo, vel auferendo.* ἐκέλευσε διαράσασθαι, καθὼς ἔθος αὐτοῖς ἐστιν, εἴ τις διασκευάσει, προστιθεὶς, ἢ μεταφέρων τι τὸ συνόλον ἐστὶ γεγραμμένων, ἢ ποιούμενος ἀφαίρεσιν. Ex quibus verbis crediderit aliquis Aristeam cogitâsse execrationes tales in usu fuisse solùm Judæis, non Græcis, vel Ægyptiis, cùm dicat Demetrium, virum Ethnicum, jussisse diras execrationes exhiberi à Judæis *pro illorum consuetudine*; quod ostenderet illum fuisse Judæum, cùm sciret illud fuisse consuedinis Judæorum, nesciret verò talem morem obtinuisse apud Græcos.

2. Si quis velit verborum illorum sensum esse, Demetrium in mandatis dedisse Judæis, ut execrationibus diris agerent *eisdem cæremoniis*, quibus solebat gens

gens Judaica, ut non innuatur execrationes illas usitatas fuisse apud Judæos solos: vel si per, αὐτοῖς, significentur non Judæi, sed Græci (quod (x) aliquibus visum est:) ab illo tamen loco duci possit argumentum, librum istum scriptum fuisse à Judæo aliquo. Fabulosum enim esse, Demetrium Phal. mandâsse diras tales congeri in illos, qui in Græcâ Versione mutarent aliquid, facillimè persuadebit sibi, qui perpendat, quanta cùm Græcis, tum Ægyptiis, atque etiam Judæis, fuerit religio dirarum imprecationum: quæ quidem tam sancta fuit, ut diras nunquam exhiberent, aut fieri cuperent, nisi in rebus planè desperatis, aut in urgentissimâ necessitate. Adeò ut repugnet vel maximè (sicut argumentantur (y) Wowerius, & post illum Weemsius, Rivetus, Episcopius) Demetrium virum Ethnicum, voluisse ut diris agerent in negotio Versionis Legis Judaicæ, quam ideo tantùm curaverit Græcis literis mandari ex Hebraico sermone, ut in Bibliothecâ cum cæteris libris poneretur. Ut autem compareat non consuetum fuisse istiusmodi imprecationes adhiberi, nisi in rebus maximi momenti, & illas inter extremas pœnas relatas

(x) *In his* Weemsius, *qui absurdè dicit Aristeam* conari probare execrationes illas usitatissimas fuisse apud Græcos & Romanos.

(y) *Putârunt hi ipsum* Regem *dici jussisse ut uterentur diris, quod non dicit* Aristeas, *loquitur enim de* Demetrio.

fuiſſe, exempla quædā hìc proferam, quæ mihi inter legendum ſeſe obtulerunt.

3. Quomodo ſe habuerit Græcorum conſuetudo, dignoſcemus facilè, ſi inquiramus quid poſitum fuerit in more Romanorum, qui totam ferè Religionem ſuam receperunt à Græcis. Apud Romanos percrebuit opinio, dirarum imprecationum, etiamſi à privato aliquo homine congeſtæ fuerint, illam vim fuiſſe, ut infauſta quæque in caput ejus reciderent, qui iſtis impugnaretur. *Defigi diris deteſtationibus nemo non metuit*, inquit Plinius alicubi; & (z) alibi, de Romano Populo adverſùs Pompeium commoto: *Ut diras Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.* (a) Horatius

(z) *Nat. Hiſt. l. 8. c. 7.*

(a) *Epod. 5. in Canidiam Veneficam.*

*Diris agam vos, dira deteſtatio*
*Nullâ expiatur victimâ.*

Cùm expulſus fuerit Tarquinius Româ, diris devoti ſunt ſelenniter, qui vel ſeipſos, vel alium Romæ Regèm conſtituere conarentur: quare Julius Cæſar (b Appiano tradente) cùm quidam ipſum regio honorârint titulo, illis interminatus eſt, averſatus nomen illud, tanquam infauſtum poſt execrationem ejus jam inde a majoribus. Ab (c) eodem proditur pecunias per Gallicos

(b) *De bel. Civ. l. 2. p. 807.*

licos tumultus in ærario depoſitas fuiſſe *cum execratione publicâ in caput illius, quicunque illas contrectare auſus foret, niſi cauſâ belli Gallici*: has Julius Cæſar, effracto ærario, prohibentique Metello, Tribuno plebis, mortem minans ni deſiſteret, diripuit, aiens, *religione ſolutam fuiſſe rempublicam perdomitis a ſe Gallis, ut nihil inde ſit periculi.* Romanorum Patres conſcripti, (d eodem ſcribente, & (e) Zonarâ,) victis a Scipione Carthaginienſibus, expugnatâq; urbe, decem legatos, electos è Senatu, miſerunt in Africam, ut unâ cum Scipione ordinarent provinciam: hi, ſi quid Carthaginis ſupereſſet, decreverunt id Scipionem diruere, *interdixerunt que, adhibitis execrationibus, ne quis contra faceret: præcipuè ſi quis Byrſam Megaravę conderet denuò.* Et tanta fuit devotionum harum religio, ut (f) Auguſtus Cæſar, interjecto plus centum annorum ſpatio, cùm Carthaginem conderet, non auſus eam eodem loco ſtatuere, in proximo conſtruxerit, *antiquas devotiones cavens religioſiſſimè.* Audi denique ſis Plutarchum de Craſſo anathematum (ut nunc loquimur) vinculis innodato & conſtricto, ut deterreretur a bello Parthico ineundo, a quo plebs Roma-

(c) P. 745.

(d) *De bel. Punicis p.* 138. *& de bel. civ. l.* 1. *p.* 620.

(e) *Annal. to.* 2. *p.* 117.

(f) Appian *de bel.* Punicis *p.* 140. Eutropius *Breviario Hiſt.* Rom. *l.* 4. *p.* 91. *ait* Carthaginem *juſſu Senatûs reparatam eſſe, deductis eò civibus* Rom. *diu ante* Auguſti *tempora, nempe annis* 22. *poſtquam à* Scipione *ſubverſa fuerat* C O S S. L. Cæcilio Metello & Tito Quintio Flaminino.

Romana vehementer abhorruit: *Atteius*, (g) inquit, *præcurrit ad portam*, (egressuro in bellum Crasso) *ibique focum accendit, &, quum pervenisset Crassus, suffitibus injectis, factisque libaminibus, diras capiti ejus atroces & horrendas imprecatus est: adhæc immanes Deos ibi invocavit & appellavit. Has Romani arcanas & vetustas devotiones eâ præditas vi ferunt, ut nemo, adversus quem conceptæ sint, evitare illas queat, nec benè cedant etiam concipientibus eas. Unde neque quâlibet de causâ has, neque inultos imprecari. Ac tunc quoque Atteium reprehenderunt, quòd rempublicam, cujus gratiâ Crasso infensus erat, devotionum tantâ religione obstrinxisset.*

(g) Crasso p. 553. Appian. de bel. civ. l. 2. p. 723.

4. Si in Græciam ipsam transmigremus, docebit (h) Strabo, opinionem fuisse, *illos, qui Ilium, a Græcis pessundatum, instaurare intenderunt, abominatos fuisse locum antiqui Ilii, sive ob calamitates, sive quòd Agamemnon in reparatorem pristini Ilii execratus fuerit vetere consuetudine: atque ideo, isto loco omisso, urbem alio posuisse.* Et eodem modo *Crœsum, Sidenâ dirutâ, in quâ tyrannus Glaucias confugerat, diris eos devovisse, qui muris rursus locum cingerent.* Aristides Athenienſis, (i Plutarcho teste,) *rogati-*

(h) Geogr. l. 13. p. 414.

(i) Aristidis Vitâ p. 324.

*rogationem tulit, ut in capita illorum, qui legationem ad Medos mitterent, aut societatem desererent Græcorum, devotiones conciperent Sacerdotes.* Athenienſes Alcibiadem abſentem, quòd ſacra violâſſet reum fecerunt, capitis damnârunt, bona ejus publicârunt, & (ut ſcribit (k) Cornelius Nepos) *id quod uſu venerat, Eumolpidas Sacerdotes populus coegit, ut illum devoverent*; ejuſque devotionis, quò teſtatior eſſet memoria, exemplum in pilâ lapideâ inciſum eſt, & poſitum in publico. Præterito temporis intervallo, cùm Alcibiades in patriam reverteretur, Eumolpidæ *rurſus* (l) *reſecrare*, id eſt, execratione illum ſolvere & devotione liberare, coacti ſunt ab eodem populo, qui eum devoverat; pilæque illæ, in quibus devotio fuerat ſcripta, in mare præcipitatæ. Nequeo mihi temperare, quominus attexam quod de Eumene (m) Juſtinus prodit; qui, cùm ab Argyraſpidis, militibus ſuis, in manus Antigoni dederetur, preces, quæ nihil potuerunt, in iram vertens, proditoſq; plures ipſorum Duces illis exprobrans, *ultima nunc ego*, addit, *perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorreſque omne ævum in hoc caſtren-*

(k) *In Alcib. c.* 4.

(l) *Cap.* 6.

(m) *Hiſt. l.* 14. *c.* 4.

*castrensi exilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quàm hostium duces absumpsistis.* Neque irritæ fuerunt diræ, luerunt enim Argyraspidæ, ipsius Antigoni jussu contriti omnes confectique.

5. Idem positum est in instituto Ægyptiorum, & aliarum gentium. Diodorus (n) Siculus tradit Bocchorin, antiquissimum illorum Regem, luxum, cui per multas antè ætates Ægyptii Reges sese dederant, damnavisse, *& imprecatum fuisse diras* (κατάρας) Regi Menæ, qui primitùs lautum istum & opiparum apparatum invexerat, & curâsse imprecationem sacris literis in templo Jovis Thebani describendam. Quâ imprecationem in causâ fuisse dicit, ne gloria honoresque Menæ ad posteritatem perdurarent, & aboleretur omnium ferè rerum ejus memoria, præter nominis infamiæque.

(n) *L. 1. p. 42.*

6. In Cæsaris (o) Commentariis legitur, Gallorum equites, duce Vercingetorige, contra illum pugnam inituros, sanctissimum jusjurandum diris his execrationibus confirmâsse, *ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad uxores aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitâsset.*

(o) *Bel. Gal. l. 7. p. 184.*

7. Quod

7. Quod ad Judæos attinet, ut nihil dicam de Balac Moabitarum Rege, qui (p) Baalamum Prophetam accivit, ut Iſraelitas diris configeret: Inter eos, Joſhua dicitur execrationes in illos contuliſſe, qui urbem *Jericho*, ab ipſo adæquatam ſolo, reconderent, ſicut Agamemnon Trojam, Crœſus Sidenam, Romani Carthaginem, Byrſam, & Megara reædificari vetuerunt. (q) *Prætea adjuratione execratus eſt Joſhuah tempore illo, dicendo: maledictus eſto vir ille coram Jehovâ, qui ſurget ut ædificet civitatem hanc Jerichuntem, pretio primogeniti ſui fundet eam, & pretio minimi ſui ſtatuat fores ejus.* Quas diras Deus ratas habuit, ut apparet, 1. *Reg.* 16. 34. Alias execrandi inſtantias S. Scriptura ſuppeditat: ut cùm dicuntur Judæi, Nehemiæ tempore (r) *iniviſſe execrationem & juramentum ſe ambulaturos in lege Dei:* & Nehemiam *lacertum ſuum excuſſiſſe, dicentem, ſic excutiat Deus omnem virum, qui non præſtiterit verbum hoc, à domo ejus, & a labore ejus, & ita ſit excuſſus ac vacuus.* Illuſtrius verò eſt exemplum, quod habetur in edicto Darii Perſarum Regis, de extruendo Hieroſolymis Templo: (ſ) *Deus verò, cujus nomen habitat illic, dejiciat omnem re-*

(p) Num. c. 22.

(q) Joſh. 6. 29.

(r) Nehem. 10. 30.

(ſ) Ezra 6. 12.

*gem & populum, qui extenderit manum ſuam ad mutandam, & deſtruendam domum Dei hanc, quæ eſt Hieroſolymis. Ego Darius conſtitui legem, illicò efficitor.*

7. Ex allatis tot exemplis liquidiſſimò conſtat in conſuetudine antiquorum non fuiſſe execrationibus quemvis ſolenniter inceſſere, niſi in negotiis permagni ponderis. Unde facilè apparet quid de Ariſteâ cenſendum ſit, qui ſcribit Demetrium præcepiſſe, ut imprecationibus ſolenniter proſequerentur illos, qui auderent in Verſione quicquam temerare, & addit, Regem ipſum Philadelphum, cùm audiſſet eo modo proviſum fuiſſe ne corrumperetur Lex Judaica, *gaviſum fuiſſe, quippe qui putabat ita præclarè ſuum inſtitutum fuiſſe ad perpetuitatem confirmatum.* Quod non eſt dubium quin confictum ab aliquo Judæo fuerit, ut propterea crederetur Verſionem Græcam, quæ in uſu fuit apud Judæos Helleniſticos, conſervatam fuiſſe ſartam tectam (ut aiunt) ab omni additione, mutilatione, maculâ, ſinceram integramque; & ut in futurum volentibus quicquam in illâ depravare vel adjicere, aut amputare, inferiarum metus afferretur. Wowerio, Riveto, Epiſcopio,

Episcopio, aliisque, placet Aristeam in hoc fingendo respexisse locum illum (t) Deuteronomii, *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* (t) C. 4. v. 2.

## CAP. XVII.

Judaicam *refert vanitatem, quod de* Judæis *scribitur magnificentiâ* Philadelphi *tantâ decoratis impetrandæ* Legis *gratiâ. Huic figmento unde occasio data fuerit.* Ptol. Philadelphi *opulentia, & munificentia erga Civitates exteras. Doctissimi* Lightfooti *error de annuo* Ægypti *reditu.* Gotfridi Viterbiensis *delirium de* Judaico *Templo a* Philadelpho Memphi *condito.*

REv. Lightfootus(u) Aristeam mendacii postulat, quòd tradiderit Ptolemæum tam ingentes impensas erogâsse in obtinendam S. Scripturæ Versionem, in redimendis captivis, ornando Templo, & donis collatis in Pontificem & LXX Seniores; quæ conficiunt

(u) Rabbinicâ & Talmudicâ *Expositione in* 1. Corinth.

summam minimùm mille talentorum, cùm *tota* (inqnit) *Bibliotheca Alexandrina tanti non constiterit, imò totum annuum vectigal Ægypti vix valuerit tanti.* Respondet (x) Cl. Vossius, illos qui sic sentiunt, nescire quid rei fuerit Ægyptus, annuumq; Ptolemæi reditum plurimorum fuisse millium talentorum. Quod quidem rectè dicitur a doctissimo Viro, & conspicuum est Lightfootum insigniter falli de annuo Ptolemæorum reditu, qui, præsertim Philadelphus, divitiis mirè abundârunt, sicut (y) alibi fusè demonstravi; quamvis annuus eorum reditus multò minor fuerit quàm, qui (z) a D. Vossio assignatur, quinquaginta millium talentorum. Rob. Baillius dona Regis usqueadeo magnifica negat videri credibilia; & (a) Wowerius asserit *veritatis studiosos ægrè assensuros* Aristeæ de tam effusis sumptibus in Legem factis. Et sanè, quamvis Philadelphus (ut inquit (b) Appianus) καὶ πορίσαι δεινότατος ἦν βασιλέων, καὶ δαπανῆσαι λαμπρότατος, καὶ κατασκευάσαι μεγαλουργότατος, *Regum omnium parandis opibus attentissimus esset, & expendendis splendidissimus, magnificentissimusque in operibus*; fidem tamen omnem superat, illum voluisse thesaurum tantum profundere,

(x) *Resp. ad* P. Simonium *p.* 46.

(y) *Vide* Syntagma de Ptol. *cap.* 14.

(z) *Operis Hist. & Chronolog. l.* 1. *p.* 215.

(a) *De Bibl. Interp. c.* 9. *p.* 71.

(b) *Præfatione Hist.*

fundere, ſicut refert Ariſteas, in volumen unicum acquirendum ut in Bibliothecâ ſuâ reponeretur, quæ quidem tota videretur vix ſtetiſſe tanti. Neque rem perpendentibus ſeriò dubium eſſe poteſt, quin Ariſteas inpenſas tantas in Legem actas fuiſſe Judaicâ vanitate mentitus fuerit, ut fidem faceret Philadelphum Judaicam Legem quantivis pretii æſtimâſſe, & tantum in eâ poſuiſſe, ut præ illâ cæteros omnes libros, pro nihilo putaverit. Ptol. Philadelphum apud Judæos cumulatè collocâſſe dona, libens conceſſerim, illum enim (ut olim innui) ampliſſimis muneribus Civitates exteras aliquandò ornaviſſe, & totum ſe contuliſſe ad obligationem Populorum omnium, ab Authoribus memoriæ proditur. Illuſtris eſt, & dignus qui deſcribatur, (c) Memnonis Heracleotæ de hac re locus: Πτολεμαῖος ὁ τῆς Αἰγύπτου βασιλεὺς, εἰς ἄκρον εὐδαιμονίας ἀναβὰς, λαμπροτάταις μὲν δωρεαῖς εὐεργετῆσαι τὰς πόλεις ᾠρήγετο, ἔπεμψε δὲ καὶ τοῖς Ἡρακλεώταις ἀρτάβας πυρῶν πεντακοσίας, καὶ νεὼν αὐτοῖς Περσεφονείας πέμψας ἐν τῇ ἀκροπόλει Ἡρακλέους ἀνέθηκατο. Ptolemæus (Philadelphus) *Rex Ægypti, altiſſimum benignæ fortunæ gradum aſſecutus, magnificentiſſimis civitates muneribus*

(c) *Hiſt.* Heracleæ Ponticæ, *cap.* 26. *ap.* Photii *Bibl. p.* 723.

*ribus demereri constituit. Itaque etiam Heracliensibus 500 artabas tritici misit, & Templum Herculis è Proconnesio saxo in arce eis extruxit.* Eadem munificentia celebratur a (d) Theocrito,

Πολλὸν δὲ ἰφθίμοισι δεδώρηται βασιλεῦσι,
Πολλὸν δὲ πτολίεσσι ———

*Multum autem potentibus donat Regibus, multum Civitatibus.* Et Philo (e) Judæus posteritati persuasit tantam fuisse Philadelphi gloriam *ob relicta per civitates regionesque magnificentiæ monumenta*, ut etiam suo tempore, annis trecentis post ætatem ejus, in proverbium abierint *Opera Philadelphica*, tanquam omnium sumptuosissima: ἃ δὲ μέχρι νῦν τοσαύταις ὕστερον γενεαῖς ᾄδεται τὸ κλέος, πολλὰ δείγματα καὶ μνημεῖα τῆς μεγαλοφροσύνης κατὰ πόλεις καὶ χώρας ἀπολιπόντος, ὡς ἤδη καὶ ἐν παροιμίας εἴδει τὰς ὑπερόγκους φιλοτιμίας καὶ μεγάλας κατασκευὰς, Φιλαδελφείους ἀπ' ἐκείνου καλεῖσθαι. In hisce Civitatibus, à Philadelpho tam magnificè honoratis, Hierosolyma videtur fuisse: atque hoc crediderim Pseudaristeæ præbuisse fabulandi ansam, Ptol. Philadelphum donis tantis Judæos impetrandæ Legis gratiâ cumulâsse, quæ reverâ largita sunt solùm ex ipsius magnificentiâ, ambitio-

(d) *Encomio* Ptol. Philadelphi, *sc. Idyl.* 17. *v.* 111.

(e) *L.* 2. *de Vitâ* Mosis *p.* 658.

bitioneque nobili omnes ſibi populos aſtringendi. Utrùm talia fuerint illius munera qualia deſcribuntur ab Authore noſtro, necne, ut pro certo non affirmârim, quia veritatem, quicquid ejus ſit, contaminavit tot fabulis, ita neque negaverim, cùm potuerit veri nonnihil immiſceri falſis. Credibile verò eſt Philadelphum donaria quædam Hierolymitano conſecrâſſe Templo, quemadmodum Heraclienſium Numini conſtruxit Templum; & Captivis illis, qui cupidi fuerunt patrios reviſendi Lares, feciſſe poteſtatem in patriam redeundi, Penatibuſque ſeſe ſuis reddendi. Quinetiam ſi verum eſſet Captivos Judæos addictos fuiſſe à Ptolemæo Lagi in ſervilem ſtatum (cujus rei dubitandæ rationes protulimus alibi:) non videtur à ratione diſſentire, Philadelphum Regem, qui nunquam dedit parcâ & contractâ manu, pro benignitate ſuâ, muneribus Hieroſolymam miſſis Captivos manumiſſos adjeciſſe, & pro capitibus ſingulis redemptionis pretium ex fiſcis propriis perſolviſſe. (t) Gotfridus Viterbienſis, pro eo quod apud Ariſteam legimus, Philadelphum Hieroſolymam miſiſſe dona ad ornandum Templum, ſcribit illũ novum Templum in

(t) *Chron. parte XI.*

in Ægypto, urbe Memphi, condidisse, & illud donariis magnificè decorâsse, & instruxisse. In quo videtur allusisse ad Templum in Ægypto ædificatum ab Oniâ, Ptolemæi Philometoris veniâ. Si Canticum ejus velles, sic se habet:

*Septuaginta duos sapientes parte remotâ,*
*Imperat Hebraica transferre volumina tota,*
*Nec voluit minimum prorsus abesse iota.*
*Dum quasi legista Philadelphus transtulit ista,*
*Instituit Templum Templi Salomonis ad instar,*
*Ut quasi lege Dei sacrificaret ei.*
*Vasa Dei, mensamque Dei, varioque decores,*
*Judaico more simili fabricavit honore,*
*Cultum consimilem semper habere volens.*
*Aurea gemmifera mensa fuit inclyta forma,*
*Vasaque gemmarum species miranda perornat,*
*Ut lux in tenebris aurea mensa fuit.*
*Urbs Pharaonis erat quondam cognomine Memphis,*
*Quâ dedit hoc Templum Domino Sother Philadelphus,*
*Hanc sub Pompeio post cecidisse lego.*

CAP.

## CAP. XVIII.

*Notantur multa, quæ Scriptorem* Judæum *redolent*: *Electio* LXXII. Interpretum, *ſenorum ex Tribubus ſingulis* §. 1. *Pretium redemptionis Captivorum.* 2. *Modus commentandi in loca quædam* Legis. 3. *Religio nimia* Græcorum *erga* Legem Judaicam. 4, 5, 6, 7. *&c.*

INducitur Demetrius Phalereus hortatus Regem in Epiſtolâ ſuâ, ut, ad præſtandum munus interpretandæ Legis, Hieroſolymis acciret viros eruditos Septuaginta duos *de ſingulis tribubus ſenos.* Quem numerum manifeſtum videtur conſtitutum fuiſſe, vel conſtitui fictum, à Judæis ad exemplum Synedrii Magni, quod conſtabat ex tribubus ſingulis, atque (ut multi crediderunt) ex viris *ſenis* ſelectis ex earum ſingulis. Si enim Demetrius Phalereus, vel ullus alius Græcorum quivis, negotium illud ordinaſſet atque direxiſſet, cogitari

nequit illum poſtulaturum fuiſſe, ut tot viri accerſerentur ad interpretandam Judæorum Legem, vel habiturum fuiſſe rationem ullam ſingularum tribuum in illis ſeligendis.

4. Cùm Philadelphus captivos Judæos in Ægypto detentos donaret libertate, pro uniuſcujuſque capitis redemptione viginti drachmæ expenſæ fuiſſe dicuntur in Ariſteâ noſtro; ſed ſecundùm exemplar quod Joſephus habuit, centum & viginti drachmæ numeratæ ſunt, quam veriorem eſſe lectionem videatur eò, quòd multò facilius fuerit tranſcriptori, vocem unam vel alteram, nempe, ἑκατὸν καὶ, omittere in ſcribendo, quàm interpolare per incuriam. Quo dato, & conceſſo vulgarem drachmam deſignari, apparebit perquam probabile redemptionis hoc pretium à Judæo aliquo confictum fuiſſe. Drachmæ enim vulgares 120, ſiclos ſive ſtateras, aut argenteos tetradrachmos, 30 efficiunt: quod ſervi pretium in Judæorum (f) Lege conſtituitur; pro quo & Servator noſter, quum pro nobis ſervi formam aſſumpſit, à proditore venditus eſt, ut eruditus Vir obſervat.

(f) Exodi 21. v. 32.

3. In colloquiis iſtis, quæ Ariſteas refert

refert se sevisse cum Eleazaro Judæorum Pontifice de ritibus Legis Judaicæ, inducitur Pontifex S. Scripturam explicans, & illius verba sic recitans: περὶ ὃν ἐστιν ὁ προειρημένος τῆς διαστολῆς τόπος περὶ τοῦτον ἔτι καὶ τὴν τῆς μνήμης κεχαρακτηρικέναι. Πάντα γὰρ ὅσα διχηλῆ, καὶ μηρυκισμὸν ἀνάγει. σαφῶς τοῖς νοοῦσιν ἐκτίθεται τὸ τῆς μνήμης. '*Quo in loco est hæc distinctionis admoni-* '*tio, in eo est etiam suo charactere ex-* '*pressum memoriæ & recordationis præ-* '*ceptum, illud enim,* (g) Quæcunq; habent 'scissas ungulas & ruminant: *manifestò* '*intelligentibus proponit signum memoriæ.* Paulo post, διὸ παρακελεύεται καὶ διὰ τῆς γραφῆς ὁ λέγων οὕτως· Μνείᾳ μνησθήσῃ τοῦ κυρίου, τοῦ ποιήσαντος ἐν σοι τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστά. Κατανοούμενοι γὰρ, καὶ μεγάλα καὶ ἔνδοξα φαίνεται, &c. '*Unde similiter in Scriptu-* '*râ cohortatur ille qui dicit*: Memoriâ 'recordator Domini, qui fecit in te 'magna & mirabilia. *Apparent enim illa* '*magna & admiranda, cùm rectè consi-derantur.* Appello hìc Lectorem, & judicium faciat æquus quivis æstimator & judex rerum, utrùm probabile sit Aristeam, qui tunc temporis rudis & ignarus Scripturæ fuerit, & illas nondum legerit, tam perfectè memoriâ suâ continuisse colloquium totum, ut non

(g) *Levit.* 11. 3. *Deut.* 14. 6.

ſolùm reliqua Pontificis verba, ſed & ipſiſſima S. Scripturæ loca eodem modo eâdemque formâ, quâ ſolent Commentatores, proferre potuerit. Judicet Lector, & dicat mihi utrùm non appareat vel ipſo ſole clariùs, loca illa conſcripta fuiſſe a Judæo aliquo, qui partes Commentatoris ſuſtinuit, & deditâ operâ loca quædam Judaicæ Legis conatus eſt explicare.

4. Judaicum etiam ſcriptorem clariſſimè ſonant laudes illæ, quibus ſupra modum effert Judaicam gentem, illorum Religionem & Leges: adeò ut videatur mihi *legere* illum, eſſe, *refutare* illum; & dubitem an Judæus ullus, etiamſi Judæum ſe profeſſus fuiſſet, potuiſſet ſcribere magis Ἰουδαϊκῶς. Contentus ero pauca quædam de multis protuliſſe, ne totum tranſcribam librum. Paulò ante locum noviſſimè notatum, dicit ſe commemoraturum pauca quædam ex illis, quæ Eleazarus Pontifex in Lege expoſuerat, *quoniam exiſtimavit multis videri nonnulla in Lege temerè comprehenſa: ut illa quæ de cibo & potu, & animalibus illis, quæ habentur impura, ſunt tradita.* Adeóne affectus fuit Ariſteas, ut, dum religionem coluerit Ethnicam, aliorum objectiones contra Leges Judæorum

dæorum tenerent illum ſolicitum?

5. Demetrius Phalereus, Vir illuſtris apud Græcos ferendis legibus, dicitur Regem monuiſſe in Epiſtolâ ſuâ, *Legem* Judæorum καὶ φιλοσοφοτέραν εἶ καὶ ἀκέραιον, ὡς ἂν τοῦ θεοῦ, *ſapientiorem & ſanctiorem aliis fuiſſe, utpote divinam.* Et ad calcem libri, quærente Rege unde factum fuit quòd nullus vel Poeta vel Hiſtoricus meminerit unquam Judæorum Legis? dicitur rationem ex eo reddidiſſe, partim quòd *ſacroſancta eſſet & divinitus lata,* διὰ τὸ σεμνὴν εἶ καὶ θεονομοθεσίαν, καὶ διὰ θεῦ γεγενῆσθαι, *partim quòd nonnulli, aggreſſi quædam ex eâ libris ſuis admiſcere, divinâ plagâ territi, ab inſtituto deſtiterint. Nam audivi* (inquit) *Theopompum, cùm vellet quædam ex iſtâ Lege in ſuam Hiſtoriam inſerere, animo fuiſſe turbarum ultrà dies triginta: & in morbi intermiſſione cùm exorâſſet Deum votis, ut ſibi declararet quam ob cauſam hoc ſibi accidiſſet, in ſomno ei fuiſſe indicatum, ideo accidiſſe quia Divina ſtudio ſuo evulgare conaretur & referre ad multos homines. Hinc cùm inſtitutum intermiſiſſet, dicitur fuiſſe liberatus à morbo. Accepi etiam de* (h) *Theodecte Tragico Poetâ, cùm voluiſſet aliquid, quod ſcriptum eſſet hoc libro, tranſferre*

(h) *Malè* Theotecus *à* Petro Comeſtore *dicitur.* G. Syncellus *p.* 272 *illum vocat* Θεοκλῆν.

*ferre in quandam ſuam Fabulam, fuiſſe viſum ei ablatum, donec perpendiſſet hoc ſibi eveniſſe propter hoc factum ſuum, & per multos dies reconciliâſſet ſibi Deum votis ſuis.* Quæ quidem tantum abeſt ut perſuadeam mihi narrata fuiſſe à Demetrio Phalereo, viro & patriâ & ſuperſtitione Græco, ut religio non ſit mihi quominus illa ponam in ridiculis & ſuperſtitioſis fabulis, & rejiciam in eandem claſſem cum iſto, quod Judaici Doctores fabulantur de Jonathane Paraphraſtâ Chaldaico, illum, S. Scripturas interpretaturum, interrogatum fuiſſe voce cœlitus, quis ille eſſet, qui auderet arcana Dei revelare, publicando illa hominibus? quo illum deterritum, ſuperſediſſe reliquos libros interpretari. Quaſi piaculi inſtar eſſet ſermone vernaculo illa vulgare, quæ priùs ab ipſo Deo in vernaculâ linguâ promulgata fuerant! Præterquam autem quòd ſupradictæ fabulæ perhibentur creditæ fuiſſe & narratæ à Demetrio, obſervare licet quòd innuitur eaſdem apud omnes Græcos ſermone tritas fuiſſe, & fidem eis ab omnibus adhibitam; niſi enim hoc innueretur, abſurdum fuit rationem iſtam aſſignare quare Legis Judaicæ Græcorum nullus mentionem in ſcriptis fecerit.

6. A Demetrio ad Regem ipsum nosmet conferamus, & videamus qualem affectum ipse exhibuerit erga Legem. *Arrige aures Pamphile, & uno verbo rem eloquar:* Non solùm professus est illam fuisse *Oracula Dei*, sed promisit LXX se Seniorum adventûs diem quotannis celebraturum, quousque vita sibi superesset; & libros Græcè conversos προσεκύνησε *adoravit*; imò cùm primùm exhiberentur illi Hebraica volumina, πολὺν ἐφέστη χρόνον, καὶ προσεκύνησε σχεδὸν ἑπτάκις, *diu substitit* profundâ raptus veneratione, & *septies* inclinato corpore *adoravit*: &, ecce boni Viri pietatem! προήχθη δακρύσαι τῇ χάρᾳ πεπληρωμένος, *præ effusissimo gaudio lacrymavit*. Inverecundum Caput! quod adeò omnem sibi frontem detriverat, & non erubuit tam monstrosè mentiri. Quàntæ (Dii boni!) fuit impudentiæ, dicere, Regem *idolorum superstitioni deditum, & contrariæ prorsus religioni addictissimum*, (ut Divus (i) Chrysostomus illum vocat) divino cultu veneratum fuisse, lacrymisque perfudisse Judæorum volumina, quæ in illum tantùm duntaxat finem curaverat acquirenda, ut in Bibliothecâ collocarentur suâ! Mendacium illud est, (si superis placet)

(i) *Sermone quarto in* Genesin *c.* 1. *v.* 8.

placet) Democrito correctore multò, quàm Aristarcho dignius, quod mihi persuadebis nunquā, etiamsi persuaseris.

7. Fingitur Eleazarus Judæorum Pontifex inter colloquendum cum Legatis Ægyptiacis (quos inter Aristeas) verba hæc fecisse: *Deum unum & potentem colimus supra universam creaturam; quapropter Ægyptiorum primates Sacerdotes, postquam multa ex disciplinâ nostrâ intentiùs perpenderant, & inde assumpserant, nos* Dei Homines (ἀνθρώπους θεοῦ) *appellant: quod ex aliis nemini contingere potest, nisi verum Deum colat.* Quando Rex professus fuerit Judaicos libros fuisse τοῦ θεοῦ λόγια, *Dei Oracula*; adstantes omnes, inter quos fuerunt Menedemus Eretriensis & multi Græci Philosophi, dictum illum suffragiis suis comprobârunt (ut dicitur) & *unâ voce acclamârunt, Benè Rex.* ὁμοθυμαδὸν δὲ πάντων εἰπόντων ὑπὸ μίαν φωνὴν, τῶν τε παραγεγονότων, καὶ τῶν συμπαρόντων, εὖ βασιλεῦ. Atque hinc est, quòd G. Syncellus scribit Legem perlectam idiomate Græco à Demetrio, Menedemo &c, *solam ex omnibus libris quos illi cognovissent, habitam fuisse ab illis pro* θεοπνευστῷ. Quæ omnia ut non est dubium quin sint falsissima, ita constat illa conscripta

fuisse

fuisse à Pseudaristeâ, ut conciliaretur Judaicæ genti & sacrosanctis eorum Scripturis æstimatio apud Gentes. Et quàm exactè referunt Judæum scriptorem, quàmque proni procliveſque fuerunt Judæi ad figmenta talia, cùm ex aliis exemplis infinitis, tùm ex eo liquet, quod de Versione Græcâ scribit Josephus Gorionides Judæus, qui tradit Aristeam, Ptolemæo Rege jubente ut Bibliothecam suam perficerent, dixisse illi: *Obsecro domine ut attendas, quòd frustrà laboravimus pro libris istis, quippe in quibus nulla est utilitas: quare si Regi bonum videtur, scribat ad Pontificem Hierosolymitanum, ut ille ad te mittat sapientes qui in illâ sunt urbe, callentes linguam Græcam, qui tibi explicent Legem suam: illa enim scriptas habet res sanctas, & omnes alii libri non habent nisi vanitatem.*

8. Judaicam gentem nullo loco vel numero habitam fuisse apud Græcos & Ethnicos, & eorum ritus contemptui ductos fuisse à plerisque omnibus, non est cur conarer multis demonstrare argumentis, quippe quod opinor ab omnibus haberi pro re certâ & indubitatâ. *Gentes omnia quæ Judæorum erant irridebant*, inquit (k) Salmeron. M. Antonius

(k) *Vide p. 17.*

tonius Coccius (l) Sabellicus ex Ariſteâ referens Ptol. Philadelphum LXX. Interpretes in Ægyptum vocâſſe, & eorum interpretationem cupidè complexum, magnis muneribus donatos honorificè dimiſiſſe, ſubjungit non credendum eſſe, *id genti datum magis quàm doctrinæ, cùm nulla tum gens eſſet in terris inviſior omnibus aut deſpicatior quàm Judæi.* Memoriam mihi non præterierunt honores illi, quos aliqui Principes Judaicæ genti dicuntur detuliſſe, neque ampliſſima illa verba quibus ornaverunt eorum religionem (m) *Cyrus*, (n) *Darius*, & (o) *Artaxerxes*, Perſarum Reges, in Decretis ſuis poſteritati traditis in Sacrâ Paginâ. E quibus Cyrus proclamat *Dominum Deum Iſraelis fuiſſe Deum* verum, & *Deum Cœli*: ita Darius: & Artaxerxes in Decreto ſive Epiſtolâ ad Ezram, illum appellat *Scribam Legis Dei Cœli*, & Templum Hieroſolymitanum dicit *domum Dei* & *domum Dei Cœli*. Ut non eſt ambigendum univerſos ſapientes Viros cujuſcunque gentis & religionis eundem Deum cum Judæis adorâſſe, Deum ſc. Verum, Creatorem omnium; in idolis enim cultum ſuum nullus omnium ſapientum terminavit unquam: ita

(l) *L. 7. Exemplorum c. 5.*

(m) *Ezræ. 1. 2.*

(n) *Ezræ 6. v. 10.*

(o) *Ezræ. 7. v. 12. 21. &c.*

ita minimè dubito quin omnes, qui in fide Judæorum exquirendâ curiosiores fuerint, vel cum Judæis sapientioribus de Deo discursum iniviſſent, credideriut illos Deum verum coluiſſe. Quapropter non mirandum eſt, ſi ſupradicti Reges, Judæorum Deum habuerint Deum Optimum Maximum. Majorem verò difficultatem habere videatur quòd Artaxerxes Legem Moſis vocet *Legem Dei Cæli*, quaſi illam crediderit dictatam ab ipſo Deo fuiſſe, ſicut de Philadelpho Græciſq, Philoſophis ſcribit Ariſteas. Nequit tamen Ariſteas per illud argumentum excuſari, quandoquidem, ſi ponamus Artaxerxem credidiſſe Judæorum Legem fuiſſe Divinitùs inſpiratam, quod minimè certum eſt: eſt enim probabile Artaxerxem ipſum Epiſtolam illam ad Ezram non præſcripſiſſe, ſed alii alicui, qui ipſi fuit ab Epiſtolis, & potuit Judæus eſſe, dediſſe in mandatis ut ad Ezram Judæorum Scribam de Templo ædificando ſcriberet: quod etiam dici poſſit (ut humiliter concipio, melioribus me judiciis libenter ſubmiſurus) de Decretis Cyri & Darii, quos videtur omnino improbabile ſibi ipſis ſumpſiſſe laborem Decretorum ſcribendorum, atque ideo

potuerunt negotium illud Judæis ipsis mandare, quippe ad quos spectârunt Decreta illa. Si inquam ponamus Artaxerxem ipsum credidisse Judæorum Legem fuisse revera Legem & Oracula Dei, constabit tamen illum ita non fecisse sine peculiari gratiâ Dei, quem S. Scriptura disertissimè testatur per singularem gratiam suam excitâsse Cyrum, Darium, & Artaxerxem, Persarum Reges, ad Templum Hierosolymis instaurandum. Quali quidem gratiâ præditos fuisse Ptol. Philadelphum, Demetrium Phalereum, Philosophos Græcos, & Magnates Ægyptiacos, quos Aristeas tradit agnovisse Judæorum Legem Divini Numinis afflatu traditam, si quis sibi persuaserit, fruatur licet suo judicio. Extat apud (p) Josephum Epistola quædam Ptol. Philometoris Regis Ægypti rescripta ad Oniam petentem ut concederetur sibi venia construendi in Ægypto Templi Judaici, in quâ dicit Rex se mirari *si potuerit acceptum esse Deo Templum statutum in impuro loco & pleno animalibus. Sed quoniam* (inquit) *ais Prophetam Esaiam jam olim hoc prædixisse, permittimus tibi hoc quatenus potest salvâ Legis observatione fieri, ne videamur per hoc peccare*

(p) *Antiq. l. 13. c. 6.*

*peccare in Deum.* Quasi diceret: *permittimus hoc tibi si per Legem liceat, minimè verò si per Legem non liceat, ne peccemus contra Deum.* Quam Epistolam (& si quæ sint similia) impetrare à me non possum ut credam non fictam fuisse à Judæis, ab illis scilicet, quibus magnam offensionem ad Oniam attulit, quòd in Ægypto Templum condidisset. Non effluxit, quod olim admonui, Hecatæum Abderitem in libro suo de Judæis, illorum ritus & instituta usque adeo testimonio ornavisse suo, ut suspicionem inde elicuerit Herennius Philo, vel librum illum fuisse á Judæo quopiam compositum sub Hecatæi nomine, vel Hecatæum Judæis in Religionem concessisse: Atvero si Josephi librum (q) primum contra Apionem adeamus, inveniemus Hecatæi laudes cum Aristeanis nugis nullo modo fuisse comparanda: Josephus enim, (Apione Judæis ponente in loco maledicti & contumeliæ, quòd gens ignota novaque fuerint) cùm ex aliis Historicis Ethnicis, tum ex Hecatæi libro producit varia de Judæis & illorum ritibus, testimonia, in quibus non est dubium quin loca illa protulerit, quæ magis facerent ad honorem gentis Judaicæ; ex Hecatæo tamen

(q) *P.* 1048. 1049.

men nihil adducit unde colligi possit Hecatæum credidisse Judæorum Legem fuisse promulgatam cœlitus, vel aliter de illis sensisse quàm de sapiente Gente; Et apud Aristeam Demetrius Phalereus in Epistolâ suâ, Hecatæi (1) profert testimonium, Mosaicam Legem, (non fuisse *Oracula Dei*, sed) continuisse ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν θεωρίαν, *puram quandam & venerandam contemplationem*. Quod (quamvis à quovis dici posse videatur de quibusvis sapientioribus institutis) & similes ejus Judaicarum consuetudinum approbationes, Herennio Philoni visa sunt majora fuisse, quàm quæ scriberentur ab homine Græco: eousque habitæ sunt despicatui res Judaicæ, ut suadere sibi vix potuerit Græcorum ullum eas comprobatione suâ vel minimâ fuisse dignaturum. Utrùm autem Herennius propter talia librum Hecatæi in dubium vocârit meritò, non facilè dixerim; cæterùm si elogiis talibus refertus fuisset Hecatæi liber, qualibus scatet Aristeas, si Mosaicam Legem tanquam Divinam celebrâsset, tantique in Judæos studii compertus esset, non immeritò fuisset in spuriis numerandus; neque quidem religioni habuissem multos alios istiusmodi libros, si

(1) *Non apparet (quod nonnullis forsan videatur)* Aristeam *sive* Demetrium *voluisse* Hecatæum *illam dedisse rationem, quare Authores Ethnici de* Lege Judaicâ *non meminerint.*

si qui fuissent, in suppositititiorum loco ducere. Lectori permitto ut quod sibi maximè arriserit, sequatur amplectaturque: Judæos apud Ægyptios Sacerdotes audivisse *Dei homines*; Judaicorum voluminum conspectum in fletum & lacrymas redegisse Ptolemæum Regem; eundem illum unà cum Demetrio Phalereo, Menedemo Eretriensi, Philosophisque cæteris, credidisse & prædicâsse sacrosanctam Legem fuisse à Deo sancitam, & omnibus aliis quibuscunque præferendam; narrationem supradictam de Theodecte & Theopompo à Demetrio Phalereo expositam fuisse, ---credat per me licet, si quis vellet --- *credat Judæus Apella, non ego.*

9. Abundè reor P. Simonium, Virum multò doctissimum eundemque acris judicii, sententiam meam suffragio (f) stabilire suo, quem reperio librum Aristeæ spurium habere propter prædictas de Theodecte & Theopompo fabulas, aliaque istiusmodi, quæ Judæum (inquit) Scriptorem omnino redolent. (t) Chamierus etiam, Vir clarissimus, Canobiscum totus est, cui vehementer displicet, quòd à Rege in Legem, quam nudè acciverat, de quâ antea nunquam audiverat, tanta prætendatur religio: quod

(f) *Hist. Criticâ l. 2. c. 2.*

(t) *Panstr. Catholicâ l. 13. c. 4. de Scripturâ.*

quod etiam *incredibile* videtur (u) Baillio; & affirmat (x) Wowerius *veritatis ſtudioſos ægrè aſſenſuros.*

(u) *Opere hiſt. & Chron. l. 1. p. 215.*
(x) *De Bibl. Interp. c. 9. p. 71.*

## CAP. XIX.

*Lectoris judicio proponuntur quædam, ab aliis objecta contra* Ariſteam, *de quibus ab* Authore *dubitatur.*

*Quæritur an poſt reditum* Judæorum *à Captivitate* Babylonicâ, *ex omnibus* Tribubus *tribules aliqui extiterunt in* Judæâ? *Conceditur contra* Scaligerum *&c.* §. 2. Ptol. Philadelphum *inter Reges nequiſſimos injuſtè numerari ab* Epiſcopio, Riveto, *&c.* 3. *Ariſteas refert Legem Judæorum ad Ptolemæum in Ægyptum miſſam, aureis literis exaratam fuiſſe, in* Talmude *verò traditur non licuiſſe Legem aureis literis ſcribi.* 4.

OBjecerunt alii contra librum Ariſteæ quædam, quæ, cùm ipſe perpenderim, viſa mihi ſunt vel infirma prorſus eſſe, vel dubia, &

in

in probationem vix ducenda: quoniam tamen à Viris doctis proferuntur, & existimo in votis esse Lectori, scire omnia quæ in Aristeâ disputicuerunt aliis, ut de illis ipse judicium faciat; non incommodum duxi in medium illa producere.

2. Offendit Scaligerum, quòd Interpretes LXXII de singulis tribubus senos selectos esse prodiderit Aristeas, cùm (ut inquit) decem tribus à Rege Babyloniæ in captivitatem deductæ, nunquam redierint, nec, si reversi ex illis aliqui fuerint, potuerit summus Pontifex senos Viros eruditissimos ex unaquâque tribu ad manum & in numerato habere, quandoquidem singulis certus locus assignari non potuerit, sed oportuerit decem tribus quasi inquilinas Judæ & Benjamen interspersas habitare. Atque hoc argumento utuntur quoque (y) Franciscus Junius, Episcopius, Rivetus, Weemsius, & (z) Vorstius. Petrus Cornestor de LXXII Viris è tribubus singulis eligendis narrationem instituens, persensit difficultatem Lectori orturam de duodecim Tribubus usque ad illud tempus permanentibus, curavit itaque (vel alius quispiam ad ipsius Historiæ Scholasticæ marginem)

(y) *Not. in* Tertull. *Apolog. c.* 18.

(z) *Not. in* Ganzium.

annotari, quòd *etſi decem Tribus captæ fuerint, multi tamen latuerant, qui fugerant in Jeruſalem, quidam etiam ad Samaritanos, propter quam commixtionem Samaritani dixerunt ſe fuiſſe Hebræos.*

(a) *Defenſ.* Bellarmini *l.* 2. *c.* 6. *p.* 493.

(a) Gretſerus reſpondet ex decem tribubus omnes ad unum non fuiſſe tranſlatos in Aſſyriam, atque hoc patere ex hiſtoriâ Judith de Bethuliâ, quæ poſt illam decem tribuum deportationem fuit urbs celebris & populoſa in tribu Zabulon. Addit, in Evangelio D. Lucæ legi, Hieroſolymis habitâſſe Annam Phanuelis filiam ex tribu Aſer; Divum etiam Jacobum inſcribere Epiſtolam ſuam Canonicam ἐν διασπορᾷ τοῖς δώδεκα φυλαῖς. *Duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione*: ſciri denique ex hiſtoriâ Evangelicâ, tempore Chriſti, imò & ante Chriſtum, Galilæam Judæis incolis fuiſſe frequentiſſimam, quæ tamen pertinebat ad tribus Zabulon, Nephthalim, Aſer, Iſachar. Adjicit ad hæc (b) Setarius, illos, qui in Babyloniâ, Perſide, ac Mediâ hærebant, & qui Judæam rurſus incolebant, ſolitos fuiſſe ultro citroque commeare, idque ex Judaicarum Academiarum rectoribus ac diſcipulis patere poſſe in libris Rabbinorum; Divum etiam Chry-

(b) *Prolegom. Bibliac. c.* 17. *Quæſt.* 7.

Chryſoſtomum, (c) Euthymium, aliosque in Matthæi Caput 15. dicere Phariſæos ex omnibus duodecim tribubus fuiſſe: Imo Picum Mirandulanum Comitem in Epiſtolâ ad ignotum, quæ incipit, *Quiſquis es*, affirmare plures ſibi Judæos dixiſſe, falſum eſſe non rediiſſe tribus decem. Ex reſponſione Clariſ. Waltoni adjungi poteſt, Rever. Uſſerium Annal. ad annum 3468. ſcribere, "quòd *non integras regni Iſraelitici tribus Salmanaſſer abduxit; ſed partem* "*reliquit, qui cum Judæis, Benjaminitis, & Levitis à Nebuchadnezaro in Ba*"*bylonem deportati ſunt, & à Cyro dimiſſi.* "*Unde ſolutâ Captivitate, anno* 1. *Cyri,* "*omnes Iſraelitæ* dicuntur *habitâſſe in* "*civitatibus ſuis*, Ezra. 2. 70. *Et Cap.* "6. 16, 17. *Hirci duodecim oblati ſunt* "*pro peccatis totius Iſraelis, juxta nu*"*merum tribuum.* Et *Matth.* 4. 14. "impletum eſt vaticinium Eſaiæ de "*terrâ Zabulon & Naphthali, videre* "*magnum lucem* per Chriſti prædicationem. Addo ipſe, Hegeſippum, qui Apoſtolorum temporibus proximus abfuit, in quinto (d) Commentario-

(c) *Voluit* D. Chryſoſtomus, *quem* Euthymius, *reliquique ſecuti ſunt, non ſolùm* (*ut aſſerit* Greiſerus) Phariſæos *extitiſſe ex omnibus* Tribubus, *verùm etiam* Tribus *omnes diſcretas habuiſſe ſedes*: *ſicut hinc appareret, quòd ad illud Evangelii,* Acceſſerunt ad Jeſum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi &c. *annotat*: Παντχοῦ δὲ τῶν φυλῶν ἦσαν διεσπαρμένοι, ἐξ οἷς καὶ ἀπὸ τῆς διασπορᾶς μάρτυρες. ἀλλ' οἱ ἀπὸ μιᾶς πόλεως ἦσαν &c. Phariſæi per omnes tribus in duodecim partes erant diſſeminati: ac nequiores alii Hieroſolymitani fuerunt, quia cùm majores honores conſequerentur, plurimum ſibi arrogabant. (d) *Apud* Euſeb. *Hiſt. Eccleſ. l.* 2, *c.* 23.

rum libro S. Jacobi Justi martyrium celebrantem, memorare plures tribus existentes in Judæâ, Sancti illius Viri passionis tempore; dicens enim Scribas & Pharisæos S. Jacobum orâsse, ut testimonium suum de Jesu coram populo perhiberet, & ascenderet in fastigium Templi, ut ab omnibus conspici exaudirique possit, subnectit: διὰ γὰρ τὸ Πάσχα συνεληλύθασι πᾶσαι αἱ φυλαὶ μετὰ καὶ τῶν ἐθνῶν. *Nam Paschalis solemnitatis gratiâ, cunctæ Judæorum tribus, & ex Gentibus non pauci huc* (e) *convenerunt.* Prodiit liber (f) paucis aliquot annis abhinc, de reditu decem Tribuum, in quo conficitur ex locis Scripturarum Propheticis, decem Tribus, à Salmanassare in Captivitatem deportatas, in Judæam reversas fuisse; cujus quidem sententiæ fuerunt olim (g) S. Cyrillus Alexandrinus, (h) Theodoretus, & (i) Theophylactus, aliique ætatis inferioris; qui credunt decem Tribus rediisse cum duabus Judæ & Benjamen sub Zerobabele, & in unum populum redactas fuisse sub ditione Hierosolymæ. Jamverò, utrùm verum sit necne hoc postremum, cui repugnant (k) rationes

(e) *Videtur* Hegesippus *innuere distinctis sedibus habitâsse omnes Tribus.*

(f) Jacobi Calvert *Naphthali edit.* Lon. 1672.

(g) *Præfat. Com. in* Zachar.

(h) *In* Esaiam 11. 13. *& alibi passim in Com. Propheticis.*

(i) *In.* Hos. 3.

(k) *Certissimum est ab antiquis* Judæis *creditum fuisse* 10 *Tribus primæ deportationis nunquam reversas esse, &* Origenes *Epist. ad* Africanum *p.* 244. *idem testatum fecit.* ὑπὸ Ῥωμαίοις δύο φυλαὶ μόναι εἶναι ἱστόρηνται, ἥτε Ἰούδα καὶ Βενιαμὴν. ἔστω καὶ Λευιτικὴ. Sub Romanis tantùm duæ tribus ferantur esse, Juda nempe atque Benjamen. Esto verò, fuerit etiam Levitica. *Quæ traditio non concipio quomodo potuerit obtinere, si reliquæ omnes Tribus eodem modo reversæ fuerint, quo* Juda *&* Benjamen.

(ut)

(uti arbitror) minimè contemnendæ, certam non feram sententiam; nequit animus esse ad examen revocare argumenta singula suprà producta: mihi tamen in confesso est, dubium non videri, quin ex omnibus Tribubus aliqui in Judæâ fuerint, Pontifice Eleazaro. Videtur enim probabile, per singulas Tribus aliquos ex Tribubus aliis interspersos habitâsse: & quamplurimi, sine controversiâ, ex decem Tribubus aliis, in Tribus Judæ & Benjamen confugerunt, quando decem Tribus à Salmanassare in Captivitatem deportatæ sunt; qui cum duabus hisce tribubus à Nebuchadnezaro in Babyloniam abducti sunt, & cum illis reversi. Neque creditu facile est, ex primâ decem Tribuum deportatione nullos duabus reliquis Tribubus in patriam redituris comites sese adjunxisse. Quid quòd, non concipio Aristeam, licèt Judæus esset, & Historiam suam mentiretur, (pro quo contendimus,) negotium illud de singulis Tribubus fecturum fuisse, si extiterint duæ solæ, quod non videtur Judæum ullum latere potuisse, multò minùs Josepho, qui Aristeam in hoc secutus est, ignotum esse potuit. De septuaginta duobus hisce Viris selectis

lectis ex Tribubus singulis scribit Aristeas, non (ut putavit Scaliger) illos fuisse conquisitos ex variis Judææ partibus, ut ad Ægypti Regem mitterentur, sed illos Hierosolymis omnes ætatem habuisse, & solitos fuisse à Pontifice Maximo in Legationes mitti, quem utrùm probabile sit ex singulis Tribubus elegisse qui majora reipub. obirent munera, Lectori relinquo judicandum.

3. Ptolemæi Philadelphi animo rerum sacrarum curam ullam (quod tradit Aristeas) insedisse, sibi non persuadent Viri quidam doctissimi, nempe (l) Rivetus, (m) Episcopius, (n) Weemsius, (o) Vorstius, quoniam (ut objiciunt) homo fuit improbissimus, & sibi ad summam impietatem reliqui nihil fecit, duos è fratribus suis neci tradens, & Arsinoen sororem suam, non fraterno sed incesto amore dilectam, uxorem ducens: quapropter *truculentus & sordidus* appellatur ab Episcopio, *vilissimus & sceleratissimus* à Weemsio, & Vorstius in illum accerrimè invehitur: *Quis judicabit* (inquit) *in sordidum, in fratricidam, & incestuosum Regem, tantam curam, tam profusam liberalitatem, tam pertinax studium ad propa-*

(l) *Isagoge ad S. Script. c.* 10. *p.* 900.
(m) *Institut. Theolog. l.* 5. *Sect.* 1. *c.* 21. *p.* 275.
(n) *Exercitat. Theol. l.* 1. *p.* 146.
(o) *In R. Ganzii Chron. p.* 256.

*propagandâ Lege Dei cadere potuisse? Sanguine duorum fratrum ex Eurydice natorum ad imperium grassatus est; nefandis nuptiis sororis Arsinoæ thorum polluit. Adeone scelestum pectus tanto bonorum Divinorum amore flagrâsse quis credat?* Addit Rivetus Deum noluisse sibi Templum ædificari à Davide propterea quòd multum effudisset sanguinem; atque itaque *non voluisse Bibliorum editionem, quam Divinam, prophetarum, & canonicam dicunt, à fratricidâ & incestuoso Ptolemæo procurari.* Si sceleribus tam nefariis coopertus fuisset Philadelphus, si vitam egisset tam profligatam, quàm vilentur credidisse docti illi Viri, Aristeæ fidem de illius in Deum pietate, in suspitionem hoc nomine non inducturi adduxissent; cæterùm exinde vix potuisset confici, illum non omnino ipsisse, Legem Judaicam in Græcam transferri linguam, quandoquidem id potuerit facere, non ex pietate aliquâ sed doctrinæ causâ, & ornandæ Bibliothecæ studio; ut Ptolemæus Euergetes, cui cognomen secundus, quamvis post homines natos nequissimus fuerit, rei tamen literariæ egregiam navavit operam, & summam doctrinæ laudem consecutus est. Non

multum

multum enim habere ponderis videtur, quod Rivetus objicit, Deum non permissurum fuisse Legem suam transferri per Regem fratricidam & incestuosum. Dixi, *si sceleribus tam nefariis coopertus fuisset Philadelphus*, quia fatendum mihi est, plurimum differre inter meam opinionem & illorum doctorum Virorum, qui in Philadelphum Regem tam acerbè & contumeliosè invehuntur, tanquam post hominum memoriam sceleratissimum. Pro comperto enim est Philadelphum, non solùm clarissimum, sed etiam excellentissimum fuisse numeratum. Nam, ut transeam encomia Theocriti & (p) Callimachi de illo scripta, utpote qui vixerunt sub illius auspiciis; à (q) Strabone inter probos & laudandos Ægypti Reges recensetur. Athenæus illum vocat (r) ἢ πάντ' ἄριστον, *undequaque optimum*, & (s) alibi, πάντων σεμνότατον τῶν δυναστῶν, *gravissimum omnium principum*. A (t) Philone Judæo nuncupatur Princeps *virtutibus regiis nobilis supra omnes ætatis suæ superiorumque seculorum Reges*. Ἀρεταῖς τῶν ἐν ἡγεμονίᾳ πάντων, οὐχὶ τῶν καθ' αὑτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν πάλαι πάποτε γεγεννημένων ἄριστος. Neque ausim cum aliis, illum in numero Principum impiorum repo-

(p) *In Hymno in* Delum Philadelphi *laudes celebrat.*

(q) *L.* 13. *p.* 547.

(r) *L.* 5. *c.* 6. *p.* 196.

(s) *L.* 12. *p.* 536.

(t) *De Vitâ* Mosis *l.* 2. *p.* 658.

reponere, quòd Sororem suam in matrimonium sibi asciverit, cùm (ut scriptum legimus) istiusmodi conjugia consuetudine & legibus Ægyptiorum honestata fuerint. Et (ne quid criminis Regi tam illustri falsò inferri patiar) luculento (u) Pausaniæ testimonio patet, illum prædictos suos Fratres è medio sustulisse, non iniquè, sed nefas contra Majestatem ipsius intendentes: alter enim insidias capiti ejus struxisse dicitur, alter Cyprios ad defectionem solicitandi suspectus fuit. Rudis illius historiæ fuit Vorstius, qui affirmat illum cæde Fratrum suorum ad solium grassatum esse; ad thronum enim evectus est ab ipso (x) Patre suo sine ullâ vi vel effusione sanguinis, neq; Filiorum Ptolemæi Lagi natu maximi fuerunt illi, quos Philadelphus interemit. Alia sunt peccata, quorum reus agi videatur posse; Authores enim habemus illum libidini suæ intemperantiùs litâsse, scilicet (y) Concubinis plurimis indulsisse, & (z) Phylarchus scribit illum effusum fuisse totum ad luxuriam, & eousque *dementatum eâ, perditumque fuisse, ut sempiternam vitam sibi futuram somniaret, jactitans à se solo repertam fuisse immortalitatem*; ὅτως ἐξα-

(u) Atticis p. 6.

(x) *Vide* Syntag. de Ptol. cap. 10. &c.

(y) *Vide ibidem* cap. 21.

(z) *Apud* Athenæum l. 12. p. 536.

πατηθῆναι τὴν διάνοιαν, καὶ διαφθαρῆναι ὑπὸ τῆς ἀκαίρου τρυφῆς, ὥστε &c. Quibus accedit (a) Cornelium Nepotem esse testimonio, *dictum fuisse*, illum Patrem suum privâsse vitâ. Quod ad *Concubinas* attinet, earum plurimas fovere Principibus omnibus, præsertim Orientalibus, in consuetudinem nimis abiit, quàm ut propterea Philadelphum in numerum Regum malorum referam. Et quantum ad luxum ejus; quamvis non diffitear illum voluptatum blanditiis delinitum fuisse, quod non abhorret à moribus Principum multorum doctorum aliàs, piorum, justorum, & clementium, longissimè tamen abest, ut fidem ullam adhibeam ridiculo isti Phylarchi mendacio. Quis enim adduci potest, ut credat Regem illum suasisse sibi, futuram sibi vitam sempiternam? Quis non persentit Phylarchum ex illis fuisse unum, qui, quæ festivè & jocosè loquuntur Reges, arripiunt, & in malam detorquent partem, & (b) Plutarchum non immeritò judicium hoc de illius Historiâ fecisse, illam fuisse *fabulosam & mendaciis plenam*? Quod de paricidio ejus scribit se legisse Cornelius Nepos, nullus dubito quin calumniosè affictum illi fuerit ab inimico quopiam:

(a) *De Regibus.*

(b) *Vitâ* Themistoclis, *ad finem.*

quopiam; (c) Iustinus enim innuit Ptolemæum Lagi, Philadelphi Patrem, ex *infirmitate* mortuum esse, & loquens de ipsius obitu, multa *Patris & filii mutuæ pietatis exempla* celebrat. Neque verisimile est Philadelphum tam horrendum facinus perpetrâsse, cùm ante mortem Patris sui in regno stabilitus fuerit. Christianus (d) Matthias cum (e) Rob. Baillio, hunc nævum & maculam impingit illi, quòd Sotadi crudelem intulerit mortem, qui (ut inquit) familiaritate regiâ fretus, de nuptiis ipsius cum Sorore suâ illum hoc dicto monere ausus est; οὐκ οὐχ ὁσίην τραυμαλίην τὸ κέντρον ἀθεῖν. *Nefandum stimulo foramen pertundis.* Quâ de re in crimen injustè Rex adducitur: Sotades enim illum non amicè admonuit, sed per modum famosi libelli dicterio isto aculeato publicè illum perstrinxit. (f) Plutarchus enim ait eum illud locutum esse, ἵνα γέλωτα παράσχῃ τοῖς ἄλλοις *ut Regem publico risui objiceret.* & fatetur illum *intempestivæ loquacitatis non culpandam dedisse pœnam,* ὁ ἀκαίρου λαλιᾶς ὁ μεμπτὴν ἔδωκε δίκην. Neque unicum fuit illud istius facinus, solitum enim fuit impudens illud Caput in Philadelphum stylum suum acerbè

(c) *Hist. l. 16. c. 2.*

(d) *Theatro Historico p. 361*

(e) *Opere Hist. & Chron. l. 1. p. 215.*

(f) Περὶ ποιδῶν ἀγωγῆς.

(g) *L.* 14. *p.* 621. distringere. Hegesander apud (g) Athenæum testatur illum insolentissimè in illum debacchatum esse; εἰρήκει οἷς τὴν βασιλέα Πτολεμαῖον πολλὰ δεινὰ: & eousque maledicentiæ provectum fuisse scribit (h) Athenæus, ut Lysimachum in Alexandriâ prosciderit contumeliâ, apud Lysimachum, Philadelphum, & alios Reges in aliis civitatibus: & affirmat illum meritum luisse supplicium: διόπερ τῆς δεούσης ἔτυχε τιμωρίας. Sic pereant omnes Verberones isti, qui (i) *non horrent Dignitates probris incessere*, & (k) *vituperant* Majestatem: sic pereant (l) *mortui isti canes*, qui *Dominis Regibus maledicunt*.

(h) *Ibid. p.* 620.

(i) *Epist.* 2. S. Petri *c.* 2. *v.* 3.

(k) *Epist.* S. Judæ *v.* 8.

(l) 1 Sam. 16. 9.

4. Scribit Aristeas, & post eum Josephus & Epiphanius, missam fuisse à Pontifice Ptolemæo Regi Judaicam Legem *aureis literis conscriptam*, quod fieri potuisse negant Rivetus & Weemsius: testantur enim (inquiunt) Hebræorum Doctores non licuisse libros sacros describere, nè Regi quidem, nisi atramento, speciali modo ad id apparato, ex fumo olei vel picis, vel sevi, vel talium, pisto in exusto ligno, cum exiguo mellis benè depsito, donec attenuetur, postea exsiccato & reposito. Quod postea tempore scriptionis dissolverunt

in

in aquis gallarum, aut similium. Dicunt autem (addit Rivetus) injunctum fuisse Mosi in monte Sinai, ut libri sacri perscriberentur atramento, exclusis cæteris omnibus colorum speciebus, velut rubro, viridi, & consimilibus; quibus si una literula scriberetur, totum profanaretur. Ne nobilissimam quidem auri tincturam eos usurpasse perhibent. Hac lege accidit, quòd, cùm in Pentateucho Alexandri M. omnis mentio *Dei* aureis characteribus depicta esset, & factum hoc deveniret ad Sapientes, illi responderunt è medio illum tollendum fuisse. Hæc ex ipsis Talmudicis scribit (m) Wilhelmus Schickardus, à Weemsio & Riveto citatus. Respondet breviter clarisſ. D. (n) Is. Vossius, stolidum hoc esse Rabbinorum commentū; neque latere potuisse Aristeam & Josephum, si verum fuisset. De quo responso penes alios judicium steterit. Quod dicunt Talmudici de consuetudine prædictâ ex mandato Dei in monte Sinai institutâ, nihil dubium est, quin fabulosum prorsus sit; neque magis hæreo de eo, quod de Pentateucho Alexandri M. dicitur. Rem verò totam esse fabulam, ut contra præclarum Virum non inficior, ita neque affirmo

(m) *De jure Regio* Hebræorum *c.* 2.

(n) *De LXX. Interp. c.* 4.

affirmo. Sanè si Talmudis authoritas apud quenquam vigeat, non videtur multum esse, quamobrem rejiciatur, propterea quòd contrarium proditum fuerit ab Aristeâ, & post illum à Josepho creditum. Si enim Aristeas Hellenista fuerit, (pro quo contendunt illi, qui illud argumentum proferunt) potuit illum latere consuetudo ista, quia licèt id moris apud Hierosolymitanos Judæos, sive Hebraizantes, obtinuerit, potuerunt tamen Hellenistici Judæi, pro Græcorum consuetudine, Legem suam colore quovis exarare. Et Josephus quamvis suo tempore solenne fuerit describere Legem unâ tantùm atramenti specie, & quamvis probè noverit usum illum apud Majores etiam suos invaluisse, potuit tamen propter Aristeæ testimonium credere, morem illum Eleazaro Pontificatum gerente nondum inolevisse, quamvis etiam Eleazari tempore, & diu antè, instituto vetere confirmatus esset. Cæterum de his ἐπέχω.

5. Chamierus, (o) contra Aristeam objiciens, quòd quædam tenuia exiguique momenti tanquam magna extolluntur, *sic libros*, inquit, *fingit aureis literis descriptos & Regem* θαυμάσαι τὸ ἰσχνότητος

(o) *Panstratiæ Cathol. l. 13. c. 4. de Scripturâ.*

τοὺς

τὰς ὑμένας καὶ τὴν συμβολῆς τὸ ἀνεπιγνωστόν, *miratum esse membranarum tenuitatem, & compactionis tantam subtilitatem, ut commissuræ sensum fugerent, sicut habet Josephus: Aristeas autem rem appellat visu mirabilem, ob quam Rex obstupefactus hæsitaverit, septiesque adorârit. Quasi illa magnum aliquid ad pietatem conferant, & Majestatem Legi addant.* Dicit quidem Josephus Regem χρόνῳ πλείονι *longo tempore miratum esse* membranæ & compactionis subtilitatem: quod verò crimini vertit Chamierus ipsi Aristeæ, dubito an in illum justo conferri possit, verba enim illius sunt: *Postquam membranas explicuissent, Rex diu substitit, & adorans ferè septies, ita est locutus: Gratias ago vobis, viri, sed majores ei, qui vos misit, maximas verò Deo illi, cujus hæc sunt oracula.* Quorum sensum esse, Regem ob subtilitatem membranæ & compactionis obstupefactum hæsitâsse & septies adorâsse, non apparet.

6. Chamierus insuper confidenter asserit absurdam esse fabulam, morem fuisse Judæorum manus in mari priùs lavare, quàm preces funderent. Quâ quidem in re assensorem me haberet vel maximè, si constaret Aristeam illud affir-

affirmare. Scribit is LXX. Interpretes, benè manè Versionem aggressuros singulis diebus, *pro communi Judaeorum omnium consuetudine manus in mari lavâsse, & tum vota ad Deum peregisse:* ὡς δὲ ἔθος ἐστὶ πᾶσι Ἰουδαίοις, ἀπονιψάμενοι τῇ θαλάσσῃ τὰς χεῖρας, ὡς ἂν ἤρξαντο πρὸς τὸν θεὸν &c. Interrogatos autem, quare ante preces lavarent manus? respondisse, *hoc factum fuisse in argumentum & testimonium nullius sceleris perpetrati, quoniam per manus omnes conatus soleant expediri.* Quibus verbis dubito an voluerit Aristeas solitos fuisse Judæos omnes *in mari* lavare manus, quia videtur illũ non potuisse non scire Judæos plurimos procul à *mari* habitâsse, & possit sensus esse, LXX. Interpretes in Pharum Insulam transituros, in mari suas lavâsse manus juxta consuetudinem Judæorum, quibus in more fuerit, manus lavare antequam opus aliquod aggrederentur, sive rem divinam facerent.

7. Idem notat Aristeam negare *moris fuisse, ut quisquam Legatorum in conspectum Regis admitteretur, etiamsi propter negotia missi redierint*, asserere verò, *Regum & excellentium Urbium ad Regem missos Legatos vix trigesimâ die receptos fuisse in atrium.* Quod quis credat

credat (inquit) nisi omnium politico-ignarus? De eo, quòd Legati redeuntes, nunquam admissi sunt in conspectum Regis, Chamierus in errorem adductus fuit per Matthiæ Palmerii Versionem Latinam, quæ hac in re, ut in aliis plurimis, Authoris sensum non attingit. Aristeas tradens LXX. Interpretes intromissos fuisse ad Regem statim quàm advenerint, subjungit: οὗ πᾶσι παραδόξου φανέντος, διὰ τὸ κατ' ἔθος εἶναι, πεμπταίους εἰς πρόσωπον ἔρχεσθαι βασιλεῖ τοὺς περὶ χρησίμων ἀφικνουμένους. τοὺς δὲ παρὰ βασιλέων ἢ πόλεων ἐν ὑπροχαῖς, μόλις ἐν ἡμέραις τριάκοντα εἰς τὴν αὐλὴν παρίεσθαι. Quæ sic interpretatur rectè Matthias Garbitius: *Quæ res, ut inusitata, movit omnibus admirationem, quia hoc in more erat, ut qui ob privatum aliquod negotium venissent, quinto demum die in conspectum Regis pervenirent: qui verò à Regibus & civitatibus præstantibus missi essent, illi ægrè post triginta dies in aulam admitterentur.* Palmerius vocabulum istoc, πεμπταίους, *missos* imperitè reddidit, quod *quinto die* quidpiam facientes denotat, ut πεμπταίους ἀφικέσθαι apud Aristeam, idem significet, quod, διὰ πέμπτης ἡμέρας προσεῖναι, quod Josephus habet. Si Chamierus, ut videtur innuere, voluerit

abſurdum eſſe, quod de Legatis Regum & Civitatum illuſtrium non ante triginta dies admittendis prodit Ariſteas; Politicorum de illâ re judicium eſto.

(p) *Notis ad* Euſebii *Hiſt. Eccleſ. l.* 5. *c.* 8.

8. Vir egregius (P) Henricus Valeſius, quem ſecutus eſt Joh. Bona, Cardinalis, præter argumentum de Epiſtolâ Demetrii Phalerei inſulſâ barbariſque plenâ vocibus, adductum à nobis olim, alia profert adverſùs Ariſteam, in quibus dicit illum falſitatem ſuam abundè prodidiſſe, quòd Hecatæi Abderitæ teſtimonium, tanquam vetuſti Scriptoris, allegantem Demetrium induxerit; cùm Hecatæus (inquit) ipſo Demetrio haud antiquior fuerit, utpote quem ſub Alexandri ſucceſſoribus floruiſſe ſcribat Suidas, aliique; necnon cum Ptolemæo Lagi filio familiariter verſatum eſſe affirmet Joſephus. Quod argumentum dubito an ceſſurum ſit pro votis erudito Viro; Hecatæum enim à Demetrio allegari tanquam multò antiquiorem, pro certo ſatis non habetur: ſimpliciter enim teſtimonium ejus profert de ſapienti doctrinâ Legis Judæorum, quod quidem potuiſſet facere, quamvis in vivis tunc ſuperſtes fuiſſet Hecatæus.

CAP.

## *CAP.* XX.

Heptastadii *mentionem facit* Aristeas, *quod ab aliquibus traditur extructum fuisse à* Cleopatrâ *longè post ætatem* Ptol. Philadelphi, *cujus regno profitetur* Aristeas *se vixisse. De tempore, quo conditum fuit* Heptastadium, *scrutinium instituitur. Illud* Ptol. Philadelpho *regnante extitisse, conceditur & probatur, contra* Joh. Gregorium & Henr. Valesium.

ARisteas scribit Heptastadium, isthmum ex jactis molibus construstum, & ad 7 stadia ab Ægypti continenti ad Pharum Insulam pertensum, extitisse quo tempore LXX. Interpretes in Græcam Versionem Legis incubuerint. Μετὰ δὲ τρεῖς ἡμέρας, inquit, ὁ Δημήτριος παραλαβὼν αὐτοὺς, καὶ διελθὼν τὸ ἐπὶ ἑπτὰ σταδίων ἀνάχωμα τῆς θαλάσσης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς τὴν χέρυραν &c. *Post tres autem dies, Demetrius assumpsit ad se illos* (LXX. Seniores) *& in insulam*

*per aggerem maris ſeptem ſtadiorum progreſſu, & pontem trajicens* &c. Eadem ad verbum Joſephus habet, unde noſtrâs Joh. Gregorius (id quod in Capite primo docui) argumentatur duos fuiſſe libros, Ariſteæ ſub nomine divulgatos, alterum, ab ipſo Ariſteâ compoſitum Ptolemæi Philadelphi tempore, quem legit Joſephus; alterum poſtea conflatum ex Joſepho aliiſque veterum, quem dicit illum eſſe, qui in manibus hodiernorum teritur. Conficit hoc exinde, quòd de Heptaſtadio in noſtro codice habeatur mentio, quam dicit fieri non potuiſſe in antiquo codice, qui compoſitus fuit regnante Philadelpho; cùm (ut inquit) Heptaſtadium conderetur diu poſt deceſſum Philadelphi à Cleopatrâ Reginarum ultimâ. Ad hæc reſpondi, quòd, ſi verum ſit Heptaſtadium conſtructum fuiſſe à Cleopatrâ, non exinde ſecuturum ſit duos fuiſſe libros Ariſteæ, & hodiernum diverſum eſſe ab illo, quem Joſephus habuit; verùm ex eo inferri poſſe, Hiſtoriam Ariſteæ poſt regnum Cleopatræ ſcriptam fuiſſe; unde, abeſſe non poteſt, quin conſequatur, illam fuiſſe fictitiam; quod quidem (q) Henricus Valeſius ex Heptaſtadii mentione colligit. Heptaſtadium

(q) *Annotat. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 8.*

um autem à Cleopatrâ conditum fuisse testes sunt Alexandrinus Chronographus, (r) Joh. Tzetzes, Cedrenus, atque (s) Ammianus Marcellinus, cujus verba sunt: *Hæc eadem Regina* (Cleopatra) *Heptastadium, sicut vix credendâ celeritate, ita magnitudine mirâ construxit, ob causam notam & necessariam. Insula Pharos, ubi Protea cum Phocarum gregibus diversatum Homerus fabulatur inflatiùs, à civitatis littore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. Quod cùm inde quidem nimium quantum petituri venissent, Fæmina, callida semper in fraudes, solennium specie feriarum, iisdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus jusserat irrequietis laboribus consummari, & septem diebus totidem stadia, molibus jactis in mare, solo propinquanti terræ sunt vindicata. Quò cum vehiculo ingressa, errare ait Rhodios, Insularum non continentis portorium flagitantes.* (t) Huic sententiæ, de Heptastadio post regnum Philadelphi condito, accessisse videtur Aristeas Epiphanianus, qui longè diversus est à Josephiano. Scribit enim Epiphanius LXX. Interpretes (non transgressos esse in Pharum Insulam per Heptastadium aggerem, verùm) *scaphis*

(r) *Chiliad.* 2. *c.* 33. *&* *Chil.* 6. *c.* 44. *qui illud vocat* Tetrastadium. *Insulam verò* Pharum *à Continenti* ἑπτὰ μάλιστα σταδίοις *distare, notatum est ab* Aristide *in Oratione* Ægyptiacâ.

(s) *Lib.* 22. Ammianum *sequuntur* Hen. Buntingus, *Chron. p.* 686. D. Heylynus *Geogr. l.* 4. *parte primâ; aliique.*

(t) Said Ebn Batric *Annal.* Alexand. *p.* 300. *ait* Cleopatram multa extruxisse ædificia, magna & miranda; fecisseque opera tessellata, & magnum templum Saturni condidisse.

*ſcaphis* rurſum prorſum tranſvectos fuiſſe.

2. Quamvis hoc; ſi veritas conſtaret illi, in magno eſſet numero argumentorum noſtrorum contra Hiſtoriam Ariſteæ, fateor tamen me nullo modo prorſus aſſentiri Ammiano Marcellino, cæteriſque, qui illud atteſtantur. (u) Julius Cæſar enim locupletiſſimus author eſt, Heptaſtadium illud non à Cleopatrâ, ſed à ſuperioribus Ægypti Regibus congeſtum fuiſſe. *Hæc Inſula* (ait) *objecta Alexandriæ portum efficit: ſed à ſuperioribus regionibus in longitudinem paſſuum DCCCC in mare jactis molibus, anguſto itinere, & ponte, cum opido conjungitur.* Pro, *regionibus*, lego, *regibus*, cum (x) Brodæo, (y) Scaligero, (z) Uſſerio, (a) Saſſano, (b) Brantio, & (c) Valeſio, qui quamvis vellet ſtructum illud fuiſſe (*) poſt regnum Philadelphi, confitetur tamen conditum ante Cleopatræ regnum. Hunc locum vexat & contorquet Joh. Gregorius, contendens lectionem illam genuinam eſſe, & ſenſum eſſe, *in longitudinem paſſuum DCCCC à ſuperioribus regionibus, jactas fuiſſe moles*: Cæterùm (bonâ cum Gregorii venià) conſpicuum eſt particulam iſtam, *à ſuperiori-*

(u) *Comment. Bel. Civ. l. 3. ad finem.*
(x) *Lib. 3. Miſcellan. c. 5.*
(y) *Not. in Euſeb. Chron.*
(z) *Annal. ad an. M. 3720.*
(a) *Annal.*
(b) *Notis Criticis ad Cæſarem.*
(c) *Notis in Marcellinum lib. 22.*
(*) *Sibi tamen inconſtans videtur Valeſius. In Notis enim ad Marcellinū colligit Heptaſtadium antiquius fuiſſe Cleopatrâ, non ſolùm quia Cæſar ait illud conditum fuiſſe à ſuperioribus Regibus, verùm etiam quia Joſephus (ſive Ariſteas) ſcribit LXX. Interpretes per illud Philadelphi tempore in Pharum Inſulam tranſviſſe.*

*perioribus regionibus*, si ita legatur, omnino superfluam esse; nec videtur Cæsarem, etsi voluisset verbis inaniter abundare, dicturum fuisse, *à superioribus regionibus*, sed, *ab opido*. Quid quòd tantum abest, ut Alexandriæ Continens, *superior regio* vocaretur, respectu habito ad Insulam Pharum, ut Insula ipsa Pharus, comparatione ad continentem factâ, *superior regio* sive *terra*, (ἡ ἄνω γῆ) dici solita fuerit. Ἐν τῇ Φαρίᾳ νήσῳ, καλουμένῃ δὲ Ἄνω γῆ. ait (e) Epiphanius: & ex eo (f) Julianus, Præsul Toletanus, *In Insula* (g) *Fari, quæ Anagoge, id est, Superior terra nominatur*, pro quibus substituendum, *In Insulâ Fariâ, quæ Anoge*. &c. Quod addit Gregorius, testimonium Cæsaris, etsi Brodæana admittatur emendatio, & legatur, *Regibus*, nullius hac in re valoris esse, utpote qui propter invidiam noluit veritatem dicere, tantum opus Fæminæ ascribendo, ne fossis suis vallisque bellicis grandius quoddam perfecisse videretur fæmina: hoc in Viro docto tam expers est judicii, ut pigeat fanè (ne dicam, & pudeat) meminisse. Quàm absurdum est Cæsarem usque ad mendacium invidisse Mulieri; usque ad mendacium impudentissimum & stultissi-

(e) *De Pond. & Mens. c.* 3.

(f) *L.* 3. *contra* Judæos.

(g) *Dicitur insula* Pharua *ab* Abulpharajio *Hist. Dynast. p.* 64. Florentius Wigorniensis *Chron. l.* 1. *turrim* Pharũ *vocat* Faram.

stultissimum, quod istius ætatis nemo non detegere, nemo non exponere potuit deridendum?

3. Sed quorsum hæc? Quomodocunque se habuerit ille locus, ex eo ipso, quòd Cæsar meminerit Heptastadii, clarissimè demonstratur illud extitisse ante regnum Cleopatræ. Cùm Cæsar enim bellum Alexandrinum gessit, Cleopatra annum sui regni quartum (h) nondum compleverat, neque superaverat ætatis vicesimum (i) primum. Lucius Florus locutus de Alexandrino Bello, illam vocat *puellam*, & (k) Appianus dicit illos, qui in Ægypto regnârunt occiso Pompeio, nempe Cleopatram & Fratrem ejus, fuisse παῖδας. Cùm tamen illi, qui Heptastadium Cleopatræ tribuunt, vel affirmant omnes, vel innunt, eam opus illud molitam postquam multos regnavisset annos. Ad ætatem Cleopatræ tam teneram, accedit, quòd antequam Cæsar in Ægyptum appulerit, Cleopatra authoritate in regno nullâ polleret, nam (ut scribit (l) Strabo) cùm *Alexandrini*, defuncto Ptolemæo Dionyso sive Aulete, *Cleopatram & Fratrem ejus regno præficerent, Pueri familiares Regis, motâ seditione, Cleopatram ejecerunt, quæ postea*

(h) *Vide* Syntag. de Ptol. c. 54.

(i) *Vide ibid.* cap. 47

(k) *De Bel. Civ.* l. 2. p. 786.

(l) *Geogr. lib.* ult. p. 548.

*poſtea cùm ſorore in Syriam ſeceſſit, & in exilio manſit, donec à Cæſare poſt bellum Alexandrinum revocata fuit.* Heptaſtadium, ardente bello Alexandrino, extitiſſe, teſtantur alii præter Cæſarem multi. (m) Lucanus hoc verſu

*Molis in exiguæ ſpatio ſtipantibus armis.*

(m) *Lib.* 10. *prope finem.*

(n) Suetonius his verbis: *Alexandriæ circa oppugnationem pontis* (hoc eſt (o) Heptaſtadii) *eruptione hoſtium ſubitâ compulſus* (Cæſar) *in ſcapham* &c. (p) Plutarchus hiſce; ἐπὶ τῇ φάρῳ μάχης συνισταμένης, καταπήδησεν μὲν ἀπὸ τῆς χώματος εἰς ἀκάτιον. *Cæſar commiſſâ ad Pharum pugnâ deſiliit ex aggere in acatium.* Et (q) L. Florus, ſcribens Cæſarem obſeſſum Alexandriâ, in Pharum *peninſulam* ſubito evaſiſſe; quo innuit illum per iſthmum eò confugiſſe. Idem indicat (r) Dio Caſſius Cocceinus, ubi tradit Ægyptios, *Cæſare Pharum* (ſ) *inſulam aggrediente, & incolas interficiente, per pontes auxilio eis veniſſe:* κατά τε τὰς γεφύρας ἐπεβοήθησαν αὐτοῖς. Eadem ex Dione ſcribit (t) Joh. Xiphilinus, illius Epitomator, cujus Interpres, κατά τε τὰς γεφύρας &c. vertit, *& factis pontibus auxilio ſuis venerunt*: quaſi antè nulli pontes extiterint. Cùm tamen deno-

(n) Julio Cæſ. cap. 64.

(o) *Niſi forſan denotavit pontem, quo Inſulæ junctum eſt* Heptaſtadium.

(p) *Vitâ Jul. Cæſaris p.* 731.

(q) *L.* 4. *c.* 2.

(r) *Hiſt. Rom. l.* 42. *p.* 204.

(ſ) *Non*, urbem Pharum, *quomodo* Xiphilini *Interpres* τὸν Φάρον *reddit.*

(t) *P.* 152.

tentur (u) pontes illi duo Heptaſtadii, quibus Strabo prodit tranſitum fuiſſe ſuper aditus binos navigabiles in Eunoſti portum: niſi malles Heptaſtadium ipſum *pontes* in plurativo numero à Dione dici, quod quidem in ſingulari *pons* frequenter appellatur: ut à Strabone, Suetonio, (x) Appiano. Ita (y) Plinius, *à Pharo Inſulâ, quæ nunc Alexandriæ ponte jungitur.* Et (z) alibi: *juncta ponte Alexandriæ Pharus.* (a) Pomponius Mela; *Pharos Alexandriæ nunc ponte jungitur.* Heptaſtadium denique non congeſtum fuiſſe tumultuario illo modo, quo refert Amm. Marcellinus, ex (b) Strabone colligitur, qui tradit illud, non modò pontis vicem præſtitiſſe, verùm etiam *aquæductum* fuiſſe, *idque antè* bellum Alexandrinum. *Hi verò portus* (inquit, vertente Xylandro *continui in ſeceſſu illo, qui Heptaſtadium appellatur, aggere ab eo diremti adjacent. Agger autem eſt pons quidam à Continenti in Inſulam ad occidentalem ejus partem porrectus, duos tantum aditus navigabiles relinquens in Eunoſti portum, ipſos quoque ponte junctos: quod opus non modò pons erat in Inſulam, ſed etiam aquæductus, cùm illa habitaretur, At* (jam non habitatur, nam) *noſtrâ ætate*

(u) *Verbis* Ariſtææ *&* Joſephi *citatis liquet* Heptaſtadium *conjunctum fuiſſe Pharo per* pontem.

(x) *De Bel. Civ. l. 2. p. 850. niſi forſan voluerit pontem, quo Inſula junctum eſt* Heptaſtadium.

(y) *Hiſt. Nat. l. 13. c. 11.*

(z) *L. 5. c. 31.*

(a) *De Situ Orbis* l. 2. *c.* 7.

(b) *Libro ult. p. 545.*

*state D. Cæsar eam in bello Alexandrino, in quo pro Regibus contra ipsum steterat,* (c) *evastavit; pauci tamen nautæ juxta Turrim habitant.*

(c) *Dicitur tamen* colonia Cæsaris Dictatoris à Plinio *l.* 5 *c.* 31.

4. Ut ex positis demonstratur Heptastadium constructum fuisse ante Cleopatræ tempora, ita alia nobis sunt argumenta, unde licet conficere conditum illud fuisse, vel ab ipso Ptolemæo Philadelpho, vel ante regnum ejus. Turris enim Pharus vel ab ipso Philadelpho, vel ante regnum ejus, ædificabatur, quam tamen probari possit ædificatam fuisse post constructum Heptastadium, exinde scilicet quòd ædificata fuerit à Sostrato Architecto Gnidio, qui filius fuit illius Architecti, qui construxit Heptastadium, nempe Dexiphanis Gnidii sive Cyprii. Heptastadium autem structum fuisse à Dexiphane liquet testimonio (d) Georgii Cedreni. *Antonius* (inquit) *cum Cleopatrâ Alexandriæ & Ægypti reginâ inito consilio,* (e) *Dexiphane mechanico operi præfecto, —— maris fretum quatuor milliarium latitudine, ingestâ materiâ siccavit, fecitque, ut tanquam per continentem liber esset ex urbe ad Pharum aditus.* Ita Chronographus Alexandrinus, cujus verba Latinè reddita talem

(d) *Hist. Compendio p.* 173.

(e) Δεξιοφάνει vocem malè legitur. Ita tamen in inscriptione apud Euseb. *Chron. l.* 2. *p.* 66.

sonum habent: (f) *Anno duodecimo Triumviratûs Cæsaris Augusti, cùm tyrannidem* (in exteros) *exercerent Ægyptii & Cleopatra, quæ condidit Alexandriæ illius magnæ Pharum in Insulâ, quam Protei dixêre, Alexandriæ ad distantiam passuum* (g) 4000 *objectâ; &* (h) *aggerem in mari per tantum spatium glebâ & lapide congessit, efficiens ut ad Insulam Pharum usque pedibus perveniri posset. Quod opus insanum Cleopatræ jussu Dexiphanes,* (i) *Gnidius Architectus, fecit, qui mare in continentem vertit.* Suffragatur Joh. Tzetzes, qui Dexiphanem appellat Cyprium

Αὐτὴ δὲ ἀρχιτέκτονι Κυπρίῳ Δεξιφάνει
Τὴν θάλασσαν χερσώσασα τῆς τῆς Αλεξανδρείας &c.

Pharum verò hanc turrim extructam fuisse architecturâ Sostrati, & Sostratum fuisse Dexiphanis filium, demonstratur Inscriptione, quam (k) Plinius meminit ab ipso Sostrato insculptam fuisse Turri, quamque (l) Georgius Syncellus, (m) Lucianus, (n) Strabo, &(*)Eusebius (sive quis alius in primo illius Chronicorum libro) conservavêre posteris. Hæc ita est concepta

(f) Raderus *hunc locum malè reddit.*

(g) *Cum Cedreno sequitur in hoc* Homerum.

(h) *Græca sic compunge:* λίθοις τῆς θάλασσαν ἐπὶ τοσοῦτον διάστημα, ποιησάσης.

(i) Δεξιφάνους Κνησίου μηχανικοῦ. lege Δεξι: Κνιδίου.

(k) *Nat. Hist. l.* 36. *c.* 12.

(l) *Chronograph. p.* 271.

(m) *In libro de arte scribendi Historiam, ad finem.*

(n) *Lib.* 17. *p.* 544. *A* Sostrato *conditam fuisse* Pharum, *perhibent* Suidas, Stephanus Byzantius, Eusebius *in Canone*, Ado Viennensis *in Chron.* (* *P.* 66.

ΣΩΣΤΡΑ-

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ
ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ.

## *SOSTRATUS GNIDIUS DEXIPHANIS. F. DIIS SERVATORIBUS PRO NAVIGANTIBUS.*

5. Quod ad tempus constructæ Phari turris spectat, quam conditam dixi sub Philadelpho, vel ante regnum ejus; si fabricata fuerit ab ipsâ Cleopatrâ, uti prodit Chronographus Alexandrinus, exinde demonstrari possit Heptastadium diu post ætatem Philadelphi factum fuisse, tametsi ante Cleopatram factum fuerit, cùm confectum esset à Patre illius Architecti, cujus operâ Pharus erectus fuit. Sanè hac in re Alexandrino Chronographo suffragatur (o) Ammianus Marcellinus. Qui affirmat Cleopatram Pharum erexisse, volens, eam illum, non instaurâsse (ut interpretantur illum doctissimi Viri, (p) Valesius & (q) Howelus nostrâs) sed *excogitâsse*, hac enim voce utitur. Idem legitur

(o) *Loco suprà citato.*

(p) *Notis in Marcellinum l. 22. Putavit* Valesius *conditum fuisse* Pharum *ante* Heptastadium.

(q) *Historiâ Mundi* Anglicè *scriptâ. Clarissimi Viri*, Valesius *&* D. Howelus, *aiunt* Pharum *turrim subversam fuisse à* J. Cæsare, *idque dici à* Strabone *&* Cæsare; *in quo saliuntur*: Strabo *enim &* Cæsar *de* Pharo *Insulâ loquuntur, quam dicunt vastatam fuisse.*

legitur in (r) Excerptis Chronographicis Latino-barbaris, & apud Joh. Tzetzem, necnon in aliis Authoribus, cum quibus omnibus videtur facere Scriptor quidam (s) Arabicus, *Murtadi Ebn Gaphiphus* nominatus, cujus verba Latinitate donata ſic ſe habent: *Pharus Alexandria factus non fuiſſet, niſi ſpeculi* (t) *gratiâ, quod ſuper illum erat, & de Romanâ regione adverſus illos venientes prodebat. Unus ex Romanis Imperatoribus, in tantum per artifices ſuos magnoſque ſumptus prævalebat, ut eum deſtrueret. Erat ex candido marmore* &c. Quibus verbis indicatur conſtructum fuiſſe Pharum quo tempore Romani Ægypto bellum intulère, quod non fuit (u) ante regnum Cleopatræ. Jamverò quamvis tot teſtimoniis confirmetur ea res, facilè tamen inducor, ut credam exſtructum fuiſſe Pharum ante mortem Philadelphi: illum enim conditum fuiſſe, non á Cleopatrâ, ſed, ante regnum ejus, hinc abundè demonſtratur, quòd Julius Cæſar, qui in Ægyptum venit tribus annis, poſtquàm regnare Cleopatra cœpit, de illo loquitur tanquam ante tempus illud exædificato, nempe cùm dicit, (x) *Pharus turris nomen ab Inſulâ accepit*; cujus quidem ſi nudè men-

(r) *Editis à Scaligero ad Euſebii Chronicorum ſuum p. 73.*

(s) *In Hiſtoriâ Ægyptiacâ, per Vattierum Gallice ex Arabico ſermone editâ, poſtea donatâ linguâ Anglicanâ.*

(t) Pharum *fuiſſe turrim ſpeculatoriam, vitreo ſpeculo inſtructam, ſcribit quoque* R. Benjamen Barjona *in Itinerario, p. 121, 122, 123.*

(u) *Si excipias* Romanum *exercitum, cujus ope,* Gabinio *duce,* Cleopatræ *Pater reſtitutus fuit in regnum.*

(x) *De Bello Civ. l. 3 ad finem.*

mentionem fecisset, id argumento satis magno fuisset, quandoquidem, appellente in Ægyptum Cæsare, Cleopatra Reginæ nihil, nisi nomen, obtinuerat. Adde, quòd extructum à *Ptolemæo* fuisse Pharum affirment (consentientibus (y) Strabone & (z) Luciano) (a) Plinius (b) Suidas, & (c) Isidorus Hispalensis: quem quidem Ptolemæum, fuisse Philadelphum ipsum, luculentum perhibent testimonium (d) G. Syncellus, & Eusebius, qui illum confert ad initium Philadelphi. In Excerptis Græcis Scaligeri, in serie Regum Macedonicorum, ubi numeratur inter Reges Lysimachus, qui obiit paulo post initium regni Philadelphi, additur: κτι τοῦτον Σώστρατος Κνίδιος τὸ φάρον ἐν Αλεξανδρείᾳ ἀνέθηκε. Suidas tradit illum erectum sub Ptolemæo Ægypti rege à Sostrato Gnidio, Dexiphanis filio, ὅτε καὶ Πύῤῥος τὴν δυναστείαν τῆς Ηπείρου παρείληφε, *cùm Pyrrhus Epiri principatum suscepit.* Quo videtur credidisse, illum conditum fuisse à Ptolemæo Lagi; Pyrrhus enim Epiri regnum inivit multis annis ante susceptum à Philadelpho Ægypti regnum, res Ægyptias tenente Rege Ptolemæo Lagi. Cæterùm ego facilè sum passus, ne in mentem quidem aliquid contraveniat,

(y) *L. 17. p. 544 ubi Sostratum, qui illum fabricavit, vocat* amicum Regum.

(z) De scribendâ Historiâ, *ad finem: ubi docet* Virum *tunc regnâsse, non* fœminam.

(a) *Nat. Hist. l. 36. c. 12.*

(b) *Lexico.*

(c) *Originum l. 15. c. 2. p. 368.*

(d) P. 271.

veniat, ita faveo ſententiæ illorum, qui Pharum Philadelpho acceptum referunt. Quà de re Euſebio ſuffragatur non ſolùm G. Syncellus, verùm etiam, Ado Viennenſis, Marianus (c) Scotus, & Petrus Comeſtor. Neque benè video quomodo Philadelphi opera in proverbium uſque (quod tradit Philo) celebrari potuerint, tanquam omnium magnificentiſſima, ſi à Ptolemæo Lagi extrueretur, non ſolùm Heptaſtadium, ſed & Pharus quoque, Ægypti (ſecundùm Pyramides) duo maxima miracula. Adjice, quòd videtur Pharus honori Ptolemæi Lagi, & Reginæ ejus Berenicæ, dedicatus: nam per, Θεοῖς Σωτῆρσι, in inſcriptione Turris, crediderim illos deſignatos fuiſſe; quos, conſtat Ægyptios (f) Θεοὺς Σωτῆρας appellâſſe, &, ipſorum Filii Philadelphi juſſu, veneratos fuiſſe in numero Deorum. Et compertum habeo, Berenicen à (g) nautis præſertim, & navigantibus, ſacrificiis adorari, precibuſque invocari ſolitam fuiſſe. Jamverò, ſive à Philadelpho, ſive à Ptolemæo Lagi, conderetur Pharus, neceſſariâ conſecutione colligitur, Heptaſtadium Philadelphi tempore extitiſſe. Cùm (ut demonſtratum eſt) ante Pharum conſtructum

(c) *Chron. l. 1. ætat. 5.*

(f) *Vide* Syntag. de Ptol. *cap. 4.*

(g) *Vide ibidem. Joh. Cluverius Hiſtoriarum Epitome p. 156. & Joh. de Buſſieres Floſculis Hiſt. ad A. M. 3770. Heptaſtadium Philadelpho tribuunt. Rev. Uſſerius in Annal. cùm illud tum Pharum extructa putat cùm regnârunt unà Philadelphus & Ptol. Lagi.*

ſtructum fuerit. Et ſi Pharus (h) initio Philadelphi conſtructus fuerit, utì ſcribit Euſebius, conficiatur inde Heptaſtadium à Ptolemæo Lagi elaboratum fuiſſe; atque ad hoc fortaſſe magnum illius opus alluſit (i) Theocritus, his carminibus

—Οἷος μὲν ἔην τελέσαι μέγα ἔργον (θοιτο
Ὁ Λαγίδας Πτολεμαῖος, ὅκα φρεσὶν ἐγκατάβυλαν ἂν οὐκ ἄλλος ἀνὴρ διόςε νοῆσαι.

*—Qualis erat ad abſolvendum opus magnum*
*Lagides Ptolemæus, cùm animo conceperat*
*Conſilium, quod non alius Vir excogitare potuit.*

Si, cùm dicit Cæſar illud conditum fuiſſe *à ſuperioribus regibus*, plures ſtrictè reges intelligeret, credendum eſt illud inceptum fuiſſe à Ptolemæo Lagi, & perfectum á Philadelpho. Ad antiquitatem Heptaſtadii ſpectare videtur Naſonis locus iſte, ubi Pharum numerat inter illas Inſulas, quæ diu ante memoriam ipſius factæ ſunt (k) peninſulæ.

*Fluctibus ambitæ fuerant Antiſſa, Pharoſque,*
*Et Phœniſſa Tyrus, quarum nunc inſula nulla eſt.*

(h) *Videtur* Euſebius Pharum *ad initium* Philadelphi *contuliſſe quia compertum non habuit, quo anno ejus conſtructus fuerit.*

(i) *Encomio* Ptol. Philadelphi. *Idyl.* 17. *v.* 13.

(k) *Metamorph. l.* 15. *v.* 286.

6. (l) Benjamen Bar-jona, Tudelensis, qui mortuus est anno Salutis nostræ 1173. Heptastadium refert extructum ante Ptolemæorum tempora ab ipso Alexandro Magno. *Ubi aggerem ad portum Alexandriæ per integrum milliare intra ipsum mare Alexander duxit.* Joh. Gregorius, qui locum hunc observârat, contendit Barjonam non audiendum esse, quoniam Arabici Scriptores, è quibus hoc videtur desumpsisse, plurima de Alexandro Magno ineptè confinxerunt; & quia (quod dicit) Græcorum Scriptorum nemo Heptastadium Alexandro Magno tribuit. Atqui hac in re egregiè fallitur; nam Joh. Zonaras rem eandem cum Barjonâ scribit. Alexander Magnus (inquit (m) Zonaras) *urbem* (ante Pharum) *condidit, aggeribus insulâ ad continentem redactâ.* ἐκεῖ τὴν πόλιν ἱδρύσατο, ἠπειρώσας αὐτὴν διὰ χώματος, νῆσον οὖσαν τὸ πρότερον. Fatendum est tamen Barjonæ & Zonaræ non videri auscultandum esse, cùm præstantissimi gestorum Alexandri Mag. Scriptores, Arrianus, Plutarchus, Curtius, hac de re nihil quicquam reliquerunt: maximè cùm Arabibus, à quibus non est dubium quin traditionem istam hauserint Zonaras &

(l) *Itinerario edito* Heb. & Lat. *per* Constantinum L'Empereur, *p.* 121.

(m) *Annal tomo* 1. *p.* 137.

& Barjona, ſolenne ſit tam ſplendidè de Alexandro fabulari, & grandia quæque & magnifica illi aſcribere. Ita idem (n) Barjona, & (o) Said Ebn Batric quoque, Turrim Pharum Alexandro Magno tanquam conditori tribuunt. (p) Geographus Nubienſis refert illum Mathematicorum ope Oceanum Atlanticum cum Mediterraneo conjunxiſſe, abſciſſo ad Columnas Herculeas iſthmo; quòd Græci aſcribunt Herculi. In Excerptis Chronographicis (q) Latino-barbaris perhibetur *Alexandrum Magnum omnes gentes ſubjugâſſe à Caſpiacas* (r) *portas, quæ ſunt in ortu ſolis, uſque ad exteriores terminos* (s) *Eraclii, qui jacent in exteriores Occidentis partibus contra* (t) *Garirum.* Sic (u) Cedrenus, ſecutus Arabicos, ſcribit illum in Aulâ Reginæ Candacæ fuiſſe, & ſubdit ἐκεῖθεν ἦλθε πρὸς Φᾶσιν καὶ (x) Γάδειρα, καὶ τὰ Βρεττανίσια ἔθνη γενόμενος &c *illum ad Phaſin & Gades & Britannicas gentes perveniſſe.* Ita ratio quare Alexander Mag. *Dhul Karnaim*, hoc eſt, *duo habens cornua*, nuncupetur ab Arabibus, ab illis (y) fuiſſe dicitur, *quòd duo ſolis cornua Orientem & occidentem eſſet aſſecutus*: quæ ratio redditur ab Abul-Pharajio(z) in Hiſtoriâ

(n) *Itiner. p.* 121.
(o) *Annal. Alexandrin.s.*
(p) *Primâ parte quarti Climatis.*
(q) *Edit. cũ* Euſeb. *Chron. p.* 72.
(r) *Latinitas eſt Authoris iſtius barbari.*
(s) Herculis.
(t) Γαδείρων.
(u) *Hiſt. p.* 152.
(x) *Mira eſt in* Cedreno *locorũ confuſio. Videtur enim* Gades *& Britanniam in* Indiâ *Orientali poſuiſſe.*
(y) *Ratio vera eſt, quòd* Jovis Ammonis, *cujus frontem duo cornua armabant, filius credi voluit: & quòd ipſe in conviviis purpuream* Ammonis *veſtem & cornua tanquam Deus geſtare ſolitus fuit; ſicut ſcribit* Ephippus *apud* Athenæum *l.* 12 *c.* 9 *p.* 547.
(z) *P.* 62.

riâ Dynastiarum, quam Arabicè & Latinè publici juris fecit clarissimus noster D. Pocockius, venerabilis Vir ætate & miraculo litterarum, cui Deus de meis, si placuerit, annis addat.

CAP.

## CAP. XXI.

*Locus quidam apud* Aristeam *videtur à* Christiano *scriptus; Librum tamen illum ante natum* Christum *editum fuisse.*

APud Aristeam, interrogante Rege, πρὸς τίνα δεῖ φιλότιμον εἶναι: *Apud quos oportet liberaliter se gerere?* Vicesimus quintus Interpretum respondisse fertur: Πρὸς τοὺς φιλικῶς ἔχοντας ἡμῖν, οἴονται πάντες ὅτι πρὸς τούτους δέον. ἐγὼ δὲ ὑπολαμβάνω, πρὸς τοὺς ἀντιδοξοῦντας φιλοτιμίαν δεῖ χαριστικὴν ἔχειν, ἵνα τούτῳ τῷ τρόπῳ μετάγωμεν αὐτοὺς ἐπὶ τὰ καθῆκον καὶ συμφέρον ἑαυτοῖς. δεῖ δὲ τὸν θεὸν λιτανεύειν, ἵνα ταῦτα ὑποτελῆται. τὰς γὰρ ἁπάντων διανοίας κρατεῖ. *Omnes putant hoc faciendum esse apud illos qui amicè erga nos sunt affecti. Ego vero existimo oportere demereri inimicos ipsos, ut*

*ut hoc modo illos etiam traducamus, ad id quod conveniat & proſit illis. Debemus verò orare Deum, ut hæc ille perficiat, qui omnium animos gubernat & moderatur.* Simillimum eſt divinum illud Servatoris noſtri oraculum : (a) *Audîſtis dictum fuiſſe, Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum. Ego verò dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benedicite eis, qui devovent vos, benefacite iis, qui oderunt vos, & præcemini pro iis, qui vobis infeſti ſunt, & perſequuntur vos : ut ſitis filii Patris illius veſtri ; qui eſt in cœlis ; facit enim ut ſol ſuus exoriatur ſuper malos ac bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Cui cùm mecum reputem quàm exactè conveniat Ariſteanus ille loquendi modus, in proclivi videtur ſuſpicari, Chriſtianum quempiam præceptum illud in Ariſteam intuliſſe. Quamvis, quod ad ipſum præceptum attinet, non in eo ſum, ut exiſtimem id nimis Chriſtianum eſſe, quàm ut à Judæo proferri potuerit : dictum enim non diſſimile de benefaciendo inimicis, ipſi Socrati, ut authori, acceptum fertur à Plutarcho, & poſt Socratem Ariſto Lacedæmonius, (b) laudante quodam Cleomenis dictum, *boni Regis eſſe, amicis benè, inimicis malè facere :*

(a) *Matth. c. 5. v. 43. &c.*

(b) *Apophthteg. Lacon in Ariſto.*

*facere*: respondit, *Quanto rectius erat amicis benè facere, inimicos verò amicos facere?*

2. Quæstiones, quas Interpretibus singulis proposuisse Rex ab Aristeâ fertur, & responsa, quæ ab illis tulit, in exemplari suo extitisse Josephus docet, Lectorem suum, qui cupierit illa legere, ad librum Aristeæ amandans. Philo (c) Judæus etiam earundam meminit, dicens *Regem tentaturum Interpretum cujusque sapientiam, proposuisse quæstiones non vulgares, quas illos statim aptè & breviter explicuisse.* Unde colligitur Historiam Aristeæ, qnamvis fictitia sit, Servatoris nostri humanitate antiquiorem fuisse: floruit enim Philo intra annos post Christum quinquaginta. Idem Philo de negotio Versionis confecto sub auspiciis Ptolemæi Philadelphi per Interpretes LXXII ex Judæâ evocatos, loquitur, tanquam de re indubiâ; quod quidem nibil repugnat quin potuerit fieri tametsi fictus fuerit Liber Aristeæ, & falsa Versionis traditio tota. Nam si liber ille (quod opinor) scriptus fuerit paulo ante natum Christum; potuerunt ante Philonis memoriam figmenta Aristeana per hominum ora ferri, & Judæorum Alexandrinorum sermone percrebrescere.

(c) *L. 2. de Vitâ Mosis p.* 658.

3. Histo-

3. Hiſtoriam verò Ariſteæ fictitiam eſſe, quæ diſcuſſi, niſi me fefellerit animus, abunde demonſtrant. Argumenta quædam ſunt (non enim omnibus æquale pondus eſſe ſentio) quibus ſingulis forſan convinci poſſit, cujus judicium, opinione hactenus nullâ implicatum, liberum eſt & pendulum. Veritatis magnetiſmo: & ſi diviſa non tantùm valeant, ut opinionem mentibus jamjam comprehenſam convellant, vis tamen unitorum fortior erit.

———— *Singula ſi duram*
*Flectere non poterunt, poterunt tamen omnia mentem.*

*FINIS.*

*Quamvis meum semper judicium fuerit, Authorum Indices componi raro sine ostentatione, quoniam tamen, appictis Paginarum notis, haberi possint usui, non piguit me huic labori paucas horas impendere.*

*Authores antiquiores in hoc libro citati.*


A *Bulpharaijus* 295. *notatus* 308.
*Ado Viennensis* 179. 300. 304.
*Ælianus* 38. 108. 142.
*Æneas Gazæus* 9. (148.
Agatharchides (*apud Josephum*) 216.
Alexander Polyhistor (*ap. Euseb.*) 3. 10. 28.
*Ammianus Marcellinus*, not. 293, 4, 8. 301.
*Ammonius Hermias* 114. 167. 196.
*Anagraphe Olympiadum*. 9. 59, 60, 117. 162. 197 215.
Anatolius Alexand. *not.* 180, 1, 2, 3. 9.
*Anonymus Scriptor Vitæ Apollonii Rhodii.* 151.
*Anonymus alius Scriptor ejusdem Vitæ* 151, 5.
*Anonymus in Demonstrationibus Chronographicis* 39.
*Anonymus in Vitâ Nicandri* 197.
Antigonus Carystius *ap. D. Laert.* 136, 8. 150.
*Antoninus Imp.* 141.
Apollodorus (*ap, D. Laert.*) 115.
*Apollonius Dyscolus* 9.
*Appianus.* 86. 244, 5. 252. 296, 8.
Arabicus Commentator in Pentateuchum (*ex alio cit.*) 106.
*Aristeas notatus passim. emendatus* 79. *defensus cap.* 19. 20.
*Aristeas ap. Eusebium*, 11. 15. 21, 3, 4, 5, 7. 91. 233.
*Aristeas ap. Josephum* 12. 15. 23, 4, 5, 7. 91. 233. 258. 284.
*Aristeas apud Epiphanium.* 11. 12. 78 284.
*notatus* 23, 4, 5, 6. 40, 1, 2. 236. 293.

*Aristides.* 293.
Armius *Chronologus Arab.* (*ex alio cit.*) 106.
*Arrianus* 2. 154. 306.
Asclepiades *ap. Athenæum.* 143.
*Athenæus* 4. 5. 9. 18. 54. 83, 4, 8. 92. 111. 138. 143, 4, 155, 8, 165. 196, 8. 289, 1, 4. 307. *Notatus.* 113.
*Augustinus* 6. 16. 24, 5. 126. 169.
*Aulus Gellius.* 9.
*Beda* 178. 182, 9. *Emendatus* 189.
*Benjamen Barjona not.* 302, 5, 6, 7.
*Bridefertus Rameſienſis* 181, 2.
*Cæſar* (*Julius*) 248. 294, 5. 305.
*Callimachus* 87. 288.
*Catena Græca in Job.* 5.
*Catullus* 89.
*Cedrenus* (*Georg.*) 171. 299. *not.* 293. 300. 307.
Celſus (*ap. Origenem*) 9.
*Chariſius* 144.
*Chronicon Alexandrinum* 103. 170. 179. 299. *not.* 300. 301. *correctum* 300.
*Chronographica Excerpta Latino-barbara not.* 302.
*Cicero* 71. 142, 4, 7. (7.
*Clemens Alexand.* 174. 184, 9. 190. 198. *Not.* 178, 9. 185.
*Conſtantinus Manaſſes not.* 168.
*Conſtantinus Porphyrogeneta* 81, 191.
*Curtius* (*Quintus*) 154. 306.
*Cyrillus Alexand.* 132. 276.
*Cyrillus Hieroſol.* 6. 126.
*Damaſus* (*Papa*) 22, 5.
*Demetrius* [illegible] 198.
Dexippus (*ap. Euſeb.*) 65.
*Dio Caſſius* 297, 8. (6.
*Dio Chryſoſtomus* 145.
*Diodorus Siculus* 58. 60. 61. 81. 141. 157, 8. 200. 214, 15. 224. 248. *explicatus* 63. 201.
*Diogenes Laertius* 55. 60. 70. 71. 115. 131, 3, 4, 7. 142, 3, 4, 5, 6, 7. 154, 5, 196. *emendatus* 137.
*Dionyſius Halicarn.* 9. 60. 133.

Duris

Curis Samius (ap. Athen.) 141. 150.

Ecclesiastici Liber 41.
Ephippus (ap. Athen.) 307.
Epiphanius 5. 8. 10. 11. 12. 104. 5. 170. 295. not. 45.
Euphantus (ap. D. Laert.) 138.
Eusebius de Prap. Evang. 5. 8. 10. 15. 126. 174. 5, 9. 180. 184, 9. 190. 195. 222. Not. 183.
Eusebii Chron. 65. 82. 118. 132. 170. 179. 186. 213. 300. 303, 5. not. 160. 103. 216. 299. defensus 131.
Eusebii Hist. Eccles. 5. 279.
Eustathius (in Hom.) 9. 137.
Eutheymius (Zigabenus) 5.
Eutropius 243. (275.
Eutropius (a Coccio cit.) 120.
Excerpta Graca Scaligeri 5. 65. 305.
Florentius Vagiennensis 295
Florus (Lucius) 290, 7.

Galenus 109, 10, 11. 127.
Georgius Syncellus 5. 10. 65, 6. 118. 126, 7. 141. 261. 300. 303, 4. Not. 66. 128. 170.
Godefridus Viterb. Not. 222. 25. 5, 6.

Hecatæus Abderites (ap. Josephum) 210. 12. 17, 19. 323, 5.
Hegesander (ap. Athen.) 284.
Hegesippus (ap. Eusebium) 275, 6.
Hegesippus junior 276.
Heraclides (ap. D. Laert.) 78. 13. 1, 6, 8. 148.
Hermippus (ap. D. Laert.) 46. 57. 136, 8. 143, 9.
Vindicatus cap. 4. 5. 7.
Herodiani 80. (132.
Herodotus 9. 10.
Hesychius Milesius 9. 131, 6.
Hieronymus 10. 11. 86. 97. 115. 143. 181. 221. Not. 2. 60. 169.
Homerus 139. 309.
Horatius 244.

Inscriptio Phari Turris 301. 304.

Joh. Chrysostomus 263. 277.
Joh. Climacus 183.
Josephus (Flavius) 5. 10. 15. 55. 126. 167. 195, 7. 201, 2, 3, 4, 5. 211. 221, 2, 3, 4, 6. 230. 268, 9. 289.

9. 289. 311. *Not.* 3. 128. 216. 287. *Explicatus* 120, 121, 2.
*Josephus Gorionides* 10. 222. *not.* 168. 265.
*Isidorus Hispalensis* 126. 171. 303.
*Julianus Toletanus emendatus* 295.
Julius Africanus 119.
*Justinus Hist.* 65, 6. 80. 81, 6, 8. 97. 135. 206. 247. 283.
*Justinus Martyr* 8. 24. 189. 190.
*Lucanus* 297.
*Lucianus* 97. 154. 300. 303.
*Maccabæorum Liber primus* 94. 195.
*Maccab. secundus* 185, 9. *Not.* 173. 187.
*Maccab. tertii Syriaca Versio not.* 94.
*Malala (Joh.) not.* 154.
*Marcianus Heracleotes* 164.
*Marianus Scotus* 304. *not.* 103. 179.
*Martialis* 164.
*Maximus Tyrius* 9.
*Mela (Pomponius)* 298.
*Memnon Heracleotes* 84, 8. 208. 253.
*Murtadi Ebn. Gaphiphas not.* 302.
*Myrepsus (Nicolaus)* 5.
*Nepos (Cornel.)* 247. 282.
*Nicander* 187.
*Nicephorus (Constant.)* 126.
Nicobules *(ap. Athen.)* 39.
*Nonnus not.* 9.
*Nubiensis Geographus* 93.
Numisma 85. *(not.* 307.
*Olympiodorus* 5.
*Origenes* 9. 189. 217. 276.
*Ovidius* 305. 382.
*Pausanias* 59. 61, 5, 6. 84, 5, 8. 135, 6, 142. 201, 7, 8. 281.
*Petrus Comestor* 178. 304. *Not.* 219. 220. 221. 281.
Phavorinus *(ap. D. Laert.)*
*Phædrus* 141. 154. 145.
*Philo Judæus* 5. 21. 98. 167. 253. 280. 331.
Philochorus *(ap. D. Halicarn.)* 60.
*Photius* 84, 8. 253.
Phylarchus *(ap. Athen.)* 107. 281. *Not.* 282.
*Plato* 145.
Plautus 227.
*Plinius Senior* 9. 60. 88. 117. 154. 198. 244. 299. 300. 303.

*Plutarchus* 5. 9. 38. 61. 4, 5, 6. 82, 8. 101. 114. 132, 3. 142, 8. 154. 6, 9. 201. 245, 6. 282, 3, 297.
*Pollux* (*Julius*) 4.
*Polybius* 94. 101.
*Porphyrius* 70. (*ap. Euseb.*) 65. 80.
*Ptolemæus* (*Claudius*) 186.
*Ruffinus* (*Aquileiensis*) 169. 181. 183.
*Said Ebn Batric*, *sive Eutychius* 106. 293. *Not.* 133. 307.
*Scholiastes Theocriti* 89.
*S. Scriptura* 38. 249. 251, 8, 9. 266. 284.
*Stephanus Byzantius* 88. 195. 300.
*Strabo* 9. 59. 60. 62. 107. 113. 117. 118. 142. 143. 157. 165. 246. 296, 8. 300. 303.
*Suetonius* 144. 152. 297, 8.
*Suidas* 9. 53. 61. 95. 101. 141. 6. 151, 2, 3, 9. 165, 3, 5. 198. 300. 303. *Not.* 72, *Emendatus* 153.
*Talmud* (*ex alio cit.*) 285.
*Tatianus* (*Assyrius*) 9. 190.
*Tertullianus* 10. 195. *Not.* 149, 3, 4. 169.
*Theocritus* 116. 253. 280.
*Theodoretus* 276. (305.
Theodorus Antioch. (*ex alio cit.*) 126.
*Theophilus Antiochenus* 190
*Theophrastus* 115.
*Theophylactus* 196. 276.
*Thucidides* 10.
*Tzetzes* (*Joh.*) 9. 115. 300. *Not.* 293. 302.
*Vitruvius* 116. 167. *Not.* 217. 552. 172.
*Xiphilinus* (*Joh.*) 297.
Zeuxis (*ap. Galenum*) 111.
*Zonaras* (*Joh.*) 5. 126. 245. *Not.* 366.

---

*Authores recentiores laudati, notati.*

*Aldobrandinus* (*Tho.*) *not.* 137.
*Author Præf. Bib. Gra. Rom. notatus* 101.
*Baillius* (*Rob.*) 29. 252. 272. *not.* 283.
*Barrius* (*Laur.*) 10. *not.* 102.

*Bellar-*

Bellarminus (Card.) 7. 104.
Berealdus (Phil.) 104.
Bibliander (Theod.) 105.
Bigneus (Marg.) 7.
Binius (Severinus) 22.
Bona (Joh. Card.) 29. not. 21.
Bonfrerius (Jac.) 105.
Bootius (Arnol.) 29.
Brantius (Joh.) 294.
Brodæus (Joh.) 294.
Buntingus (Henr.) 104. not. 293.
Bussieresius (Joh.) 304.
Calvert (Jac.) 276.
Calvisius (Seth.) 29. 47. 104.
Casaubonus (Is.) 26. not. 54.
Castrius (Leo) not. 1. 6. &c.
Chamierus (Dan.) 29. 239. 271. not. 21. 102. 286, 7, 8, 9.
Chytræus (Dav.) 105.
Cluverius (Joh.) 304.
Coccius Sabellicus 103, 120. 266.
Codomannus (Laur.) 104.
Croius (Joh.) 29.
Dalecampius (Jac.) 155. not. 196.
D' Espieresius (Joh.) 7.
Dodmelius (Henr.) laudatus 45.
Dosma (Rodericus) 104.
Drieda (Joh.) 120. not. 128.
Episcopius (Sim.) 29. 47. 105. 177. 250. not. 243. 272, 3, 8.
Feu-ardentius (Franc.) not. 102.
Frischlinus (Nicod.) not. 164, 5.
Fullerus (Tho.) not. 93, 4.
Funccius (Joh.) 104.
Galatinus (Pet.) 120. not. 128.
Gale (D. Tho.) 194, 5, 8.
Galesinius (Pet.) 7. 35. not. 102.
Ganz (R. Dav.) 120. not. 128
Garbitius (Matthias) 100.
Gelenius (Sigism.) not. 161.
Genebrardus (Gilb.) not. 164.
Gesnerus (Conr.) not. 4. 133.
Goar (Jac.) 119. not. 141.
Goltzius (Hub. 65.
Gregory (Joh.) not. 1. 6. 13. 14. 291, 2, 4. 306.
Gretserus 274. not. 48. 51, 2, 3, 5. 233. 275.
Heinsius (Dan.) 29.

Her-

Herbert (Nom. Tho.) 228.
Heylynus (D. Pet.) not. 93. 293.
Homelius (D. Guil.) not. 301.
Interpres Xiphilini not. 297.
Interpres Joh. Climaci not. 183.
Junius (Fran.) 29. not. 273.
Kimedonius (Jac.) 104.
Labbeus (Phil.) 105.
à Lapide (Cornel.) 120. not. 128.
Lightfootus (D. Joh.) 29. not. 251, 8.
Lipsius (Just.) 104. 158.
Littleton (D. Adam) 120.
Magalianus (Cosmas) not. 102.
Marshamus (Dom. Joh.) 29
Matthias (Christian.) 105. not. 283.
Menasius (Ægid.) 29. 132. 195. not 54 194.
Middendorpius (Jac.) not. 25.
Palmerius (Matthias) not. 123. 289.
Pamelius (Jac.) 7. 10. not. 4.
Perionius (Joach.) 7.
Petavius (Dion.) 42, 3. 4. not. 77.
Picus Mirand. (ex alia ed.)
Pocockius (D. Edw.) laudatus 308.
Pontacus (Arn.) 103.
Portus (Æmil.) 152.
Possevinus (Jac.) 7. 10. not. 4.
Raderus (Matth.) 184. not. 300.
Reineccius (Rein.) 29.
Riccioli us (Joh. Bapt.) not. 58. 77. 123. 133. 198. 200. 203, 4, 5.
Rivultius (Nic.) 10.
Rivetus (Andr.) 29. 130. 177. 233. 250. 284. not. 243. 272, 3, 8. 280.
Roccha (Ang.) not. 4.
Salianus (Jac.) 76. 105. 294. not. 33. 49. 78. 123. 199. 205. 215.
Salmeron (Alphon.) 365. not. 1. 6. &c. 32. 102.
Sanutus (Marinus) not. 220.
Scaliger (Jos.) 19. 20, 1, 9. 31, 2. 47. 61. 105. 119. 177. 221, 7. 233. 294. Not. 131. 183, 4. 230. 272, 3, 8.
Serarius (Nic.) 103. 274. not. 6. 48, 9. 50, 1, 2, 3, 5.

35. 54. 73. 101. 233.
Simonius, laudatus 29. 191. 271. not. 239.
Simsonius (D. Edm.) 7. not. 86.
Sixtus Senensis not. 102.
Stephanus (Car.) not. 133.
Stenchus (Augustin.) 29.
Stillingfleetus (D. Edw.) laudatus 176.

Temporarius (Joh.) 104.
Turnus (Jac. 104.
Torniellus (Augustin.) 108.

De Valentia (Jac.) 120. not. 128.
Valesius (Henr.) 21. 9. 198. 234. 294. not 181. 290, 1, 4. 301.
Vigerus (Franc. not. 183.
Vives (Lud.) 108. not. 6. 7.
Vorstius (Guil. Henr.) 29. 47. not. 273, 8. 281.
Vossius (Ger.) 5. 54. 164. not. 2. 4. 19. 20. 31. 49. 55. 77.
Vossius (D. Is.) laudatus 7. 36. 252. 285. not. 57, 8. 62, 3, 4. 77. 140, 8. 199. 200. 201, 2, 3. 227. 233. 252.
Usserius (D. Jac.) 7. 30. 41. 105. 208. 294. 304. not. 49. 68, 9. 70.

Waltonus (D. Brianus) 7. 26. 49. 105. 275. not. 31, 5. 49. 173, 5.
Weemsius (Joh.) 29. 47. 284. not. 171. 243. 273, 8.
Willetus (D. Andr.) not. 102.
Wowerius (Joh.) 29. 34. 105. 141. 176. 227. 233. 250, 2. 272. not. 146. 243.

Xylander (Guil.) 298. not. 156.
Zanchius (Hier.) 104.

FINIS.